Luebbert, Eduard
De Pindari poetae et Hieronis regis amicitiae [initio et] progressu

INDEX SCHOLARVM

QVAE

SVMMIS AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES AESTIVOS ANNI CIↃIↃCCCLXXXVI

A DIE XXVIII MENSIS APRILIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR

Inest EDVARDI LVEBBERTI *commentatio de Pindari poetae et Hieronis regis amicitiae primordiis et progressu.*

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

RECTOR ET SENATVS

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

CIVIBVS

S.

1. Quid possit diversa etiam ingenia in amicitiam conciliare. Χαλεπὸν τὸ καλόν.

Mirum videri possit et paradoxum, si quis de Pindari poetae et Hieronis regis vera quadam et sincera amicitia loquatur. Quid illis viris diversius cogitari potest? Alter ferreis vinculis curis terrestribus et dominationis retinendae studiis alligatus; alter in his rebus humanis hospes, ad caelum semper et astra oculos erigens. Tamen, mirabile dictu, haec amicitia non in dulcium fabularum numerum releganda est. Pindari quattuor in Hieronem carmina, poesis lyricae verae margaritae, non inani verborum tinnitu, non frigido affectatoque splendore fallunt, sed sicut in omnibus, ita in his quoque Helicon et Aganippa in ipsius poetae pectore habitant. Quomodo hoc aenigma solvendum sit, quaeris? Erat in Hierone duplex ingenium. Innata ei viro haud dubie ferocia et insolentia mitiore quodam spiritu, tanquam aliquo Favonio, temperabatur. Inerat in eius pectore altioris puriorisque sapientiae ardens desiderium, ut interdum in mediis divitiis pauper sibi, in copiosissimo potentiae apparatu miser videretur. Celebratissima est historia de Hieronis cum Simonide poeta colloquio (Cicero, de deor. nat. I, 22, 60), quo regem ille de natura numinis divini curiose sciscitantem, compluribus diebus ad considerandum iterumque considerandum postulatis, tandem hoc responso elusit magis, quam edocuit: *Quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior.* Quanto generosius, quanto pulchrius Pindarus, qui per omnia carmina sua regem non curiose de dis quaerere, sed pie eos colere iubet. Quid igitur? nonne haec tam rara, tam singularis duorum virorum et plurimum inter se discrepantium, et nihilo minus invicem sese expetentium amicitia accuratiore quadam cognitione digna videatur? num minus cognitu digna sit.

quam pugnarum terrestrium, navalium, quam foederum modo initorum, modo ruptorum historia? Minume rerum, si quid video.

Atque initium quidem primae eorum virorum notitiae tale fuit, ut haud ita multum polliceri videretur. Hiero cum fratri Geloni anno 478 in regno successisset, consuetis tyrannorum artibus uti coepit: cives vexare, proxumis cognatis insidias struere, cum Therone Geloni quondam amicissimo rixari, denique Gelonis fratris, quem populus unice dilexerat, nulla re similis esse. Polyzelo, Hieronis fratri natu minori, ad Theronem, eundem et generum suum et socerum (conf. Timaeum apud Schol. Pind. ad Ol. II introd. et ad v. 29), confugiendum erat, ut vitam ab Hieronis insidiis tutaretur. Fors ita tulit, ut eo tempore, anno 477, Hiero pro victoria, quam in Thebanorum ludis Iolaëis pullorum equinorum quadriga (Pind. Pyth. II, 7; Paus. X, 7, 7; Boeckh, Explicatt. p. 243 init.) adeptus erat, Pindarum ad carmen epinicium pangendum invitaret. Adnuit Pindarus, sed ea occasione ita usus est, ut in hoc carmine Pyth. II non adulatoris, sed veri amici partes ageret: Hieronem horrore quodam consiliorum et facinorum suorum percussit; ostendit ei, qui, hercle, in eius sinu animus hospitaretur; quae in pectore portenta nutriret; denique ut tandem aliquando ipse se cognosceret hortatus est; nam celebratissimum illud v. 72: γένοι' οἷος ἐσσὶ μαθών, uti recte intellexit Comparetti in Philologo vol. 28 p. 396, nihil aliud significat, quam: *fias is, qui didicerit, qualis sit;* est igitur fortius quoddam γνῶθι σαυτόν. Unum sane Pindarus prudenter cavit: per omnia haec monita amoris quaedam aura sparsa est, eum in modum, ut dolentis magis, quam irascentis animus compareat. Itaque miraculum factum est. Hoc carmine tantum abfuit, ut Hiero a Pindaro abalienaretur, ut amicior etiam poetae factus sit. Tyrannus ille, maxume alioquin irritabilis, nunc vitiis suis ab homine integerrimo convicium fieri laetabatur. Itaque quom strictis gladiis ad Gelam fluvium (Schol. Pind. Ol. II, v. 29, p. 64) hostiles Hieronis et Theronis exercitus oppositi iam starent, Hiero, Pindari consiliorum memor, pacem composuit intercedente etiam Simonide. Cum Polyzelo igitur et Therone in gratiam rediit, Xenocratis etiam, Theronis fratris, filia in matrimonium ducta. Qui tempora computet, facile Pindari monita in Hieronis animo fructum aliquem tulisse, agnoscat.

2. In Pindari et Hieronis amicitia unum est quadriennium (477—474) ponderosissimum quidem et fructuosissumum, sed spissis, ut videtur, tenebris obrutum.

Hactenus omnia clara sunt. Ab hac vero Hieronis ingenii prima conversione lacuna quaedam in nostra quidem huius amicitiae crescentis et progredientis cognitione incipit. Quattuor enim annis post, ab anno 474, Hieronis et Pindari amicitiam, id quod ex carminibus Pyth. III et I luculenter apparet, pulcherrime iam adultam, maturam, utroque amico dignissimam videmus. Sed ad plenam eius amicitiae imaginem recuperandam

magnopere etiam refert scire, quae illo quadriennio acta sint. Libenter enim sciremus, quibus tandem artibus Pindarus regem ad virtutem iamiam inclinantem corroboraverit, quibus vinculis in recta via retinuerit. Atque in hac re cardo omnino vertitur. Nam facile profecto hoc est, hominem peccantem repentina quasi incursione facta percutere, castigando ad poenitentiam adigere; difficillimum est, nutantem et in bivio haerentem confirmare, adversus libidinum impetum armatum et tutum reddere. Hoc quomodo Pindarus consecutus sit, qui nunc est harum litterarum status, plane nescitur; quod enim sit documentum, unde, quemadmodum Hieronis conversioni Pindarus responderit, cognoscatur? Nullum profecto, si volgarem opinionem sequamur; nam nullum per illius quadriennii spatium Pindari carmen comparet. Verum enim vero desperandum non est: melius longe nobiscum actum est, quam ipsi credimus; non tam haec temporum iniuria est, qua quid illo quadriennio actum sit, ignoramus, quam nostra ipsorum.

Habemus enim, modo praeiudicatae opinionis caliginem discutiamus, habemus eximium et luculentum crescentis illius et pulcherrimae instar arboris adolescentis amicitiae documentum, carmen Ol. I, quod nunc sane Boeckhio praeeunte olympiadi 77 (= 472) tribuitur, maiore tamen iure in ol. 76 (= 476) collocatur. Atque hoc ipsum si nunc paullisper concedatur, quanta lux amicitiae illius primordiis et incrementis affulget! Eo hercle concesso iam probe scimus, qua arte Pindarus amicum, in virtute colenda etiam tunc rudem et immaturum, adiuverit, firmarit, in amicitiae mysteria initiaverit. Haec optimi et viri et poetae ars, id quod ex carmine Ol. I apparet, in simplicissimam regulam uno verbo comprehendi potest: Pindarus amicum cum ipsis naevis ipsisque peccatis toto pectore dilexit, non ita profecto quidem, ut illis vitiis blandiretur et pulvinaria eis subiceret, sed ut et amice illum et severe castigaret, oculos eum ab his terrestribus rebus ad caelestia et aeterna attollere iuberet, ut quovis verbo formosiorem semper amici animam, cultiorem, purgatiorem reddere studeret. Quodnam enim est huius carminis Ol. I summum et supremum consilium? Haud dubie hoc est: Non eam esse veram et plenam hominis beatitudinem, quae sine labore et sudore tanquam aliquod deorum immortalium donum in gremium deciderit, sed eam, quae, quemadmodum in Pelopis exemplo id illustratur, sudore et periculis, intrepide certando et conando parta sit. Talia hercle praecepta non poterant non in intimis Hieronis praecordiis haerere; haec ea vi praedita erant, ut hominem inter virtutem et vitia etiam nunc titubantem intimo virtutis amore perfundere possent. Ostendit hoc carmine Pindarus: unam esse medicinam in animi volneribus sanandis efficacissimam: veram sinceramque amicitiam.

3. Minume posse pro profligata haberi quaestionem de carminis Ol. I tempore, nondum quorundam Pausaniae locorum fontibus excussis.

Sed audio iam eorum voces, qui σταύρωσον, σταύρωσον clament, vel si mitioris ingenii sint, qui haec omnia speciosius, quam verius disputata esse dicant; quippe

Boeckhium invictissimis rationibus, inprimis nisum Scholiastae Pind. ad Ol. I introd. p. 21 testimonio, demonstravisse, Explicatt. p. 100 sq., carmen Ol. I olympiade 77 (= 472) compositum esse. Sed duae sunt res, quae quominus viri egregii et de litteris Pindaricis immortaliter meriti in hac re sententiae adstipuler, me impediunt. Primum scholion illud, quo fundamento utitur Boeckhius, minume a corruptelae labe immune est; deinde Pausaniae locum VI, 9, 4, in hac quidem caussa ponderosissimum, novit quidem Boeckhius; sed, quae erat illius aetatis in fontibus Pausaniae definiendis et aestimandis vel apud eruditissumos incuria, minume ita expendit et excussit, ut qui fructus inde capi posset, et quemadmodum scholio illi quasi adversa fronte oppositus esset, intellegeret. Pausaniae illo loco cum ea, quae nunc iure poscitur in fontibus scriptorum eruendis, et subtilitate et severitate diligenter examinato apparebit, carmen Ol. I unice olympiadi 76 (= 476) convenire. Atque Didymus quoque in eadem sententia fuit, qui eos vituperet, qui Hieronem, quo tempore carmen Ol. I compositum sit, Aetnaeum potius, quam Syracusanum appellandum fuisse censerent; Schol. Pind. Ol. I, 33 p. 29 extr.: εὐήθεις φησὶ Δίδυμος τούτους· τότε γὰρ Ἱέρων ἦν Συρακούσιος καὶ οὐδὲ ἦν Αἰτναῖος, ὥς φησιν Ἀπολλόδωρος. Apparet ex hoc scholio, et Didymum et Apollodorum victoriam celeticam Hieronis, quae carmine Pindarico Ol. I celebratur, olympiadi 76 (= 476) tribuisse; nam verba: ὥς φησιν Ἀπολλόδωρος non significant, id quod Bergkius Poet. Lyr. Gr. I⁴, p. 4 volt, Didymum refutasse, quae dixisset Apollodorus, sed, uti recte intellexit Boeckhius Expl. p. 102 init., assensum esse Apollodoro Didymum. Sed haec tela, ut recte omnia intellegantur, denuo a primis staminibus nunc exordienda est.

4. De prima Hieronis victoria Olympica dubitatur, sitne anno 488 an 476 tribuenda. Inde quomodo pendeat iudicium de carminis Ol. I tempore.

Tres omnino victorias Hiero in certamine Olympico adeptus est, duas equo celete, unam quadriga partam, quod docemur clarissimo epigrammate, quod donis ab Hieronis filio Dinomene post patris mortem Olympiam missis inscriptum fuit. Dona ipsa continebantur et curru cum quattuor equis, Onatae operibus, et duobus celetibus cum pueris insidentibus, Calamidis arte sculptis; Paus. VI, 12, 1. Epigramma, huic anathemati inscriptum, ad hanc formam compositum erat, ut refert Paus. VIII, 42, 9: σόν ποτε νικήσας, Ζεῦ Ὀλύμπιε, σεμνὸν ἀγῶνα || τεθρίππῳ μὲν ἅπαξ, μουνοκέλητι δὲ δίς, || δῶρ' Ἱέρων τάδε σοι ἐχαρίσσατο· παῖς δ' ἀνέθηκε || Δεινομένης πατρὸς μνῆμα Συρακοσίου. Et duarum quidem postremarum victoriarum, quadrigae et unius celeticae, tempora certissima sunt; quadriga enim Olympiae Hiero vicit ol. 78 (= 468), Schol. Pind. Ol. I introd.: συνέβη δὲ αὐτὸν νικήσαντα τεθρίππῳ τὴν οη' ὀλυμπιάδα ἐν ταύτῃ τελευτῆσαι. Mortuus est Hiero ol. 78, 2 (= 467) post regnum undecim annorum; Diod. XI, 38: Ἱέρων . . . διαδεξάμενος τὴν ἀρχὴν ἐβασίλευσε τῶν Συρακοσίων ἔτη ἕνδεκα καὶ μῆνας ὀκτώ. Repetitur idem ap. Diod. XI, 66 extr. De posteriore victoria celetica non minus aperte testatur Schol. Pind. p. 21, eam olymp. 77

(= 472) partam esse: ὁ δὲ αὐτὸς καὶ τὴν οζ´ νικᾷ κέλητι. Maxima vero controversia de priore victoria celetica est; nam duae sunt olympiades duodecim annorum spatio inter se diiunctae, ol. 73 (= 488) et 76 (= 476), in quarum alteram utram ab auctoribus antiquis et ab nostrae quoque aetatis eruditis referri solet. Scholiasta enim ad Pind. Ol. I introd. p. 21 eam ol. 73 (= 488) adscribit; contra Didymus apud Schol. Pind. Ol. I, 33 p. 29 olympiadi 76 (= 476). Pendet ab hac controversia aut in hanc aut in illam partem composita definitio etiam temporis, quo carmen Ol. I compositum sit. Quom enim hoc carmen Hieroni Syracusarum iam regi scriptum sit, si prior victoria Hieronis celetica in Ol. 73 (= 488) incidit, quo tempore privatus erat Hiero, necessario sequitur, illam odam Ol. I non convenire nisi in olympiadem 77 (= 472), qua posteriorem victoriam celeticam Hiero iam rex nactus est. Contra si Hiero privatus nunquam, sed bis Syracusarum rex victoria celetica potitus est, ol. 76 (= 476) et ol. 77 (= 472), fieri iam non poterit, ut carmen Ol. I ad posteriorem victoriam referatur. Nam in huius alterius victoriae laudibus celebrandis nullo modo praeconium etiam prioris victoriae quadriennio ante partae omitti potuit. Eiusmodi vero significatio nulla omnino in carmine Ol. I invenitur. Apparet igitur, omnem illam de carminis Ol. I anno definiendo quaestionem iam eo redire, ut quo anno Hiero primum celete vicerit eruatur. Prout vero aut annus ol. 73 (= 488), aut ol. 76 (= 476) inventus fuerit, carmen illud aut ol. 77 (= 472) aut ol. 76 (= 476) adsignari oportebit.

5. In Scholiastae ad Pind. loco Ol. I introd., cui plurimum Boeckhius confisus est, olympiadis numerum corruptum videri, ΟΓ pro ΟϜ.

Iam igitur, quod optimum factu est in omnibus controversiis diiudicandis, primum subsidia ipsa, quibus in hoc examine uti possimus, inspiciamus. Primum igitur Schol. Pind. Ol. I introd. p. 21 haec tradit: ἐπιγέγραπται ὁ ἐπινίκιος Ἱέρωνι τῷ Γέλωνος ἀδελφῷ νικήσαντι ἵππῳ κέλητι τὴν ογ´ ὀλυμπιάδα, ἢ ὥς ἔνιοι ἅρματι. Habent haec haud levem difficultatem, nam carmen Ol. I quod significatur verbis: ἐπιγέγραπται ὁ ἐπινίκιος nullo modo in ol. 73 (= 488) convenit. Quare eruditi plerumque statuerunt, scholiastam, qui hanc praefationem scriberet, hoc sibi proposuisse, ut omnes omnino victorias Hieronis Olympicas enumeraret, ne vetustissima quidem illa, etiamsi carmen propositum ad eam minume gentium pertineret, omissa. Scholiastam quippe doctrinam suam paullulum ostentantem ea quoque, quae praeter necessitatem scitu utilia esse potuerint, quod ita ipsi placuerit, tradere voluisse. Accedit quod sane vetustioris illius victoriae celeticae mentio aliquantum, ut antea vidimus, facit ad carminis Ol. I tempus definiendum. Sed licet haec argumentatio per se ipsa apta videri possit ad scholiastae praeposteram operam, qua rem obscuravit potius, quam illustravit, excusandam, tamen fieri non potest, quin ipsa scholii forma et dicendi genus magnam suspitionem moveant. Cum enim dicitur: ἐπιγέγραπται ὁ ἐπινίκιος Ἱέρωνι . . . νικήσαντι ἵππῳ κέλητι τὴν ογ´ ὀλυμπιάδα, nemo erit, quin ita haec intellegat:

carminis Ol. I tempus et originem coniunctissima dici cum victoria celetica, quam illa quidem olympiade 73 (= 488) Hiero adeptus sit.

Haec reputans Theodorus Bergk, Poet. Lyr. Gr. I[4] p. 4 pro numero OΓ ingeniose OF, digamma pro gamma posito, scribi iubet: etenim in antiquissimis Pindari exemplaribus numerum sex illo signo etiamtunc expressum fuisse; quam ad rem conf. Boeckhium, Staatshaush. der Ath. (Berol. 1817) vol. II, 385 et Ioannem Franz, Element. epigr. Gr. p. 351. Habet haec coniectura aliquam ad persuadendum vim. Sed longe certius fundamentum, in quo ad carminis Ol. I tempus definiendum inniti possimus, praebet Pausaniae locus VI, 9, 4. 5, cuius ad hanc quaestionem diiudicandam praestantia haudquaquam ita, ut res postulabat, perspecta est. Huius enim loci testimonium ab eruditis, qui de Hieronis et Gelonis victoriis Olympicis quaesiverunt, ita semper adferri solet, quasi summa eius cum illa scholiastae, quam modo consideravimus, temporis definitione consensio sit. At hoc longe secus est, immo tantum abest, ut Pausaniae verba cum scholiastae illo calculo conciliari possint, ut alterum plane altero excludatur. Etenim Pausaniae disputatio haec est: narrat VI, 9, 4. 5, Gelonis se, Dinomenis filii, Gelensis, anathema, in victoriae, curru partae, memoriam positum, Olympiae vidisse, currum ex aere cum quadriga, adiuncto Gelonis simulacro, quae omnia Glauciae Aeginetae (Brunn, Gesch. d. Künstl. I, 83) ars fuerint. Γλαυκίας δὲ, inquit, Αἰγινήτης τό τε ἅρμα καὶ αὐτῷ τῷ Γέλωνι ἐποίησε τὴν εἰκόνα. Epigramma quoque, uti assolet, anathemati inscriptum fuisse, quod nomen victoris, patrem eius, denique patriam Gelam indicaret: ἐπίγραμμα μὲν δή ἐστιν αὐτῷ, Γέλωνα Δεινομένους ἀναθεῖναι Γελῷον. Adicit Pausanias, curulem hanc Gelonis victoriam incidere in olympiadem 73 (= 488): καὶ ὁ χρόνος τούτῳ τῷ Γέλωνί ἐστι τῆς νίκης τρίτη πρὸς τὰς ἑβδομήκοντα ὀλυμπιάδας.

6. Pausanias VI, 9, 4 Gelonem, qui a. 488 curru vicit, miro errore pro homine privato habet, tyranni homonymo.

Haec omnia usque adhuc satis clara, simplicia, pacata sunt; verum, ut est apud Thucydidem, ἄρχεται ὁ πόλεμος ἐνθένδε ἤδη. Nam Pausanias posteaquam haec VI, 9, 4 rettulit, altum supercilium assumit, frontem in rugas componit, screantem fere audimus, denique hunc in modum pergit. Eorum scrutatorum, qui ante se de hoc monumento dixerint, minume se sententiam probare posse, quippe qui victorem illum Gelonem Dinomenis filium Gelensem non diversum iudicent a notissimo Siciliae tyranno. Sibi argumenta satis gravia in promptu esse, quae hunc Gelonem, curru victorem, a Gelone Siciliae tyranno diversum esse evincant. Eorum argumentorum summam hanc esse. Epigrammatis illius auctorem, anathematis donatorem, Gelonem, Gelae urbis civem sese vocare. Gelonem vero Siciliae tyrannum olim quidem ipsum quoque Gelensem, et regem etiam Gelensium fuisse; sed eo tempore, quo illa victoria curulis evenerit, i. e. ol. 73 (= 488), Gelonem iam pridem, vel si accurate loquendum sit, iam tres integros annos Syracusanum

fuisse. Gelonem enim Syracusarum regno potitum esse et sedem regni Syracusas transtulisse anno ol. 72, 2 (= 491), archonte Athenis Hybrilida: Γέλων δὲ ὁ Σικελίας τυραννήσας Συρακούσας ἔσχεν Ὑβριλίδου μὲν Ἀθήνησιν ἄρχοντος, δευτέρῳ δὲ ἔτει τῆς δευτέρας καὶ ἑβδομηκοστῆς ὀλυμπιάδος, ἣν Τισικράτης ἐνίκα Κροτωνιάτης στάδιον. Hanc igitur temporum computationem pugnare cum epigrammate; nam Gelonem tyrannum si revera, quemadmodum credatur, Olympiae anno ol. 73 (= 488) palmam tulisset, numquam hoc admissurum fuisse, ut Gelensem se, ac non Syracusanum renuntiari iuberet. Haec quin ita se habeant, dubium esse non posse: δῆλα οὖν ὡς Συρακούσιον ἤδη καὶ οὐ Γελῷον ἀναγορεύειν αὑτὸν ἔμελλεν. His caussis commotum Pausanias ait se iudicium suum a reliquorum scrutatorum opinione segregare maluisse: οὐ κατὰ ταὐτὰ δοξάζειν ἐμοὶ παρίστατο καὶ τοῖς πρότερον ἢ ἐγὼ ἐς αὐτὸ εἰρηκόσιν, οἳ Γέλωνος τοῦ ἐν Σικελίᾳ τυραννήσαντός φασιν ἀνάθημα εἶναι τὸ ἅρμα. Denique unam relictam esse huius difficultatis explicandae viam hanc, ut statuatur, Gelonem illum curru victorem, Dinomenis filium, Geloum, hominem fuisse privatum, civem Gelae urbis, homonymum tyranni, eodem plane modo, quo pater quoque eius, Dinomenes, Gelonis tyranni patris, Dinomenis, homonymus fuerit: ἀλλὰ γὰρ ἰδιώτης εἴη ἄν τις ὁ Γέλων οὗτος, πατρός τε ὁμωνύμου τῷ τυράννῳ καὶ αὐτὸς ὁμώνυμος.

7. Pausaniae error quomodo ortus sit, a Georgio Grote et Holmio liquidissume patefactum.

Haec igitur bonus Pausanias, mirantibus sane et capita quassantibus eruditis. Nam eum in rebus gestis Gelonis ad temporum calculos revocandis in magno errore versari, unicuique, qui primoribus, quod aiunt, labris haec studia gustaverit, facile constabit. Gelo enim ad Syracusarum dominationem non, quemadmodum opinatur Pausanias, anno iam ol. 72, 2 (= 491), sed anno demum ol. 73, 4 (= 485) accessit, quod apparet ex Diodori calculis, Diod. XI, 38: Γέλων μὲν οὖν ἑπταετῆ χρόνον ἐβασίλευσεν· itaque cum anno 478 decesserit, regno eum Syracusarum anno 485 potitum esse, necessario colligitur. Quocum consentit Aristoteles Pol. V, 12 p. 1315, b, 36: Γέλων μὲν γὰρ ἑπτὰ (ἔτη) τυραννεύσας τῷ ὀγδόῳ τὸν βίον ἐτελεύτησεν. Inde manifesto adparet, illo anno, quo victoria curulis Olympica, cuius monumentum vidit Pausanias VI, 9, 4, reportata est, i. e. ol. 73 (= 488), Gelonem etiamtunc Gelensem, necdum Syracusium fuisse; epigramma igitur illud, in quo tantopere offendit Pausanias, plane recte se habere. Accedit quod praeeunte Georgio Grote: Hist. Graec. III (version. Germ. Lips. 1853) p. 167, not. 15 rectissume Holmius Gesch. Sicil. I, 413 hoc quoque perspexit, quae tandem res in errorem Pausaniam adduxerit. Pausanias fontes suos paullo festinantius, ut videtur, oculis perlustrans, initam a Gelone apud Gelenses in urbe patria dominationem confudit cum auspicata sex demum annis post apud Syracusanos tyrannide. Gelon quomodo post Hippocratis tyranni mortem apud Gelenses regnum obtinuerit, optime Herodotus enarrat VII, 155: primum eum filiorum Hippocratis, Euclidae et Cleandri, pupillorum tutorem fuisse, deinde quom, illis in

speciem patrocinatus, civium seditionem oppressisset, ipsum sua manu reipublicae clavom regendum adprehendisse: ὡς ἐπεκράτησε μάχῃ τῶν Γελῴων, ἦρχε αὐτὸς ἀποστερήσας τοὺς Ἱπποκράτεος παῖδας. Haec facta esse tertio ferme anno post pugnam ad Helorum fluvium (Herod. VII, 154), hoc est ol. 72, 2 (= 491), certum est. Quae cum ita sint, quid sequitur, nisi ut Pausaniae illam coniecturam de Gelone, Dinomenis filio, homine privato, tyranni homonymo, pro ea habeamus, quae prorsus invita Minerva facta sit?

8. Quo ordine in olympionicarum anagrapha nomina victorum perscripta fuerint. Unius anni ol. 177 = 72 a. Chr. victorum index integer servatus.

Sed interdum tam benigne studiis nostris fata providerunt, ut ex ipsis antiquorum scriptorum erroribus nec opinati fructus colligi possint. Cadit hoc mirifice plane in hunc locum Pausaniae, qui scriptor, dum eruditorum orbi ridendum se propinat, tantum profecto huic quaestioni emolumentum attulit, ut maxumam etiam gratiam pro illa sua simplicitate nostram inierit. Nam nemo semel admonitus non animadvertet, magnam in illis Pausaniae erroribus lucem inesse ad eam quaestionem diiudicandam, a qua in hac disputatione primum profecti sumus et cuius caussa omnis haec opera suscepta est. Quaerebamus de anno, quo Hiero priorem victoriam celeticam nactus esset. Eum annum aut ol. 73 (= 488), aut ol. 76 (= 476) esse debere, inventum fuerat. Iam profecto egregium momentum, nisi fallimur, accessit ad hanc controversiam dirimendam. Fingamus enim verum illud esse, quod tradit Scholiasta ad Pind. Ol. I introd.: Hieronem celete vicisse anno ol. 73 (= 488). Hoc posito, quoniam eodem anno Gelo quoque vicit (Paus. VI, 9, 4), in anagrapha olympionicarum, in olympiadis 73 victorum indice proxume post Gelonis, Dinomenis filii, victoriam curulem perscripta esse debuit fratris eius, Hieronis, Dinomenis filii, victoria celetica. Nam is erat ordo certaminum victricium in anagrapha olympionicarum, ut post hominum, virorum puerorumque, certamina victoriae equestres commemorarentur, primum eae, quae quadriga, deinde quae celete, quae biga, porro quae pullorum equinorum quadriga et biga, pullorumque denique celete partae essent. Novimus hunc ordinem, qualis fuerit, ex unius anni indice victorum, qui plenus et integer ad nos transmissus est, anni ol. 177 (= 72 a. Chr.), quem acceptum referimus Photio, qui eum excerpsit ex Phlegontis Tralliani, Hadriani imperatoris liberti, opere: Ὀλυμπιονικῶν καὶ χρονικῶν συναγωγή conf. Fragm. hist. Gr. ed. Muell. III, 606. Ibi post postremum hominum certamen, i. e. post puerorum pancration hunce ludorum equestrium ordinem legimus: Κάλας Ἠλεῖος παγκράτιον παίδων. || Ἀριστόλοχος Ἠλεῖος τέθριππον. || Ἀγήμονος Ἠλείου κέλης. || Ἑλλανίκου Ἠλείου συνωρίς. || Τοῦ αὐτοῦ τέθριππον πωλικόν. || Κλητία Ἠλείου πωλικὴ συνωρίς. || Καλλίππου Πηλίου („Τηλίου" em. Rutgers) πωλικὸς κέλης.

9. Error, quem erravit Pausanias, Gelonem pro privato habens, documento est, eum Hieronis nomen inter a. 488 victores non legisse.

Hic sane certaminum ordo non prorsum in omnibus rebus congruit cum eo ordine, qui Hieronis et Gelonis aetate in usu fuit, quia nonnulla certamina, quae olim viguerunt, velut mulorum et equarum feminarum cursus (ἀπήνη et κάλπη, Paus. V, 9, 1), postea abolita sunt, pariterque nova quaedam genera antea nondum usitata, procedente tempore introducta sunt, velut puerorum pancration ol. 145 (= 200 a. Chr.), conf. Paus. V, 8, 11; deinde omnia pullorum equinorum certamina, quae inde ab olympiade 99 (= 384) demum Olympiae recepta sunt, Paus. V, 8, 10. Tamen equorum adultorum quadriga et celes, quae genera inter vetustissima certamina et haud longe etiam alterum post alterum instituta sunt, quadriga ol. 25 (= 680), celes ol. 33 (= 648), locum semper vicinum in anagrapha olympionicarum procul dubio obtinuerunt. Ex his iam quid sequatur, manifestum est. Si revera et Gelon et Hieron, quod plerique statuunt, in eadem panegyri Olympica ol. 73 (= 488) vicerunt, fieri non potuit, quin in anagrapha olympionicarum haec nomina alterum iuxta alterum perscriberentur; nam Hieronis ut celete victoris nomen in proximo post Gelonis curru victoris nomen versu collocandum erat.

Sed hoc paullisper concesso, quid quaeso Pausaniae fiet? Num quaeso credibile est, eum, si in suo anagraphae exemplari, in proximo post Gelonis victoriam versu, vel plane etiam iuxta, Hieronis victoriam celeticam perscriptam invenisset, tam fatuum et bardum futurum fuisse, ut coniecturam illam de Gelone privato rerum equestrium studioso in medium proferret? Nam profecto ad extremos iam fines eius licentiae, quam coniectantibus concedimus, progressus est bonus Pausanias, cum finxit, Gelae fuisse Gelonis tyranni homonymum et patris eius Dinomenis Dinomenem homonymum. Quid, si tertius etiam ad mirificam hanc familiam, frater Hiero, tyranni Hieronis homonymus, eiusdem Dinomenis filius, accessisset? Num fortasse eadem cantilena Pausanias usurus et obtrudentes sese scrupulos repressurus erat: Paus. VI, 9, 5: ἀλλὰ . . . ἰδιώτης εἴη ἄν τις . . . πατρός τε ὁμωνύμου . . . καὶ αὐτὸς ὁμώνυμος? Non credo quemquam futurum, qui eum in modum sibi Pausaniam insulsum et omni sana mente orbatum fingat, ut ille lecto Hieronis nomine in proximo post Gelonem versu non statim infelicissimam illam coniecturam abiecturus et in extremas terras relegaturus fuerit. Itaque ne tanti stuporis Pausaniam reum faciamus, hoc profecto pro certo statuendum erit: Pausaniam in suo anagraphae Olympicae exemplari post Gelonis victoriam Hieronis nullam victoriam litteris consignatam vidisse. Et nunc iam luculenter apparet, quam utilis ille Pausaniae error, quem omnes castigant, nobis sit, quemque inde fructum capiamus: constat Pausania teste, olympiade 73 (= 488) Hieronis nullam victoriam in fastis Olympicis traditam fuisse.

10. Eos eruditos, qui Hieronem ol. 73 (= 488) celete vicisse pro certo adfirment, Pausaniam summae in usu fontium incuriae et neglegentiae incusare.

Sed video, quid adversus ea, quae adhuc a nobis disputata sunt, cum aliqua veri specie moneri possint. Sane, inquiunt, sit ita; Pausanias cum illa VI, 9, 4 scripsit, non legit in olympionicarum anni ol. 73 (= 488) indice Hieronis nomen; nam id si legisset, nunquam Gelonem, eodem anno victorem, pro homine privato habuisset. Sed quis, ita pergant illi, quis spondeat, Pausaniam omnino inspexisse anagrapham, cum illa dissereret? Fortasse ignorabat, Hieronem ea olympiade vicisse; fieri potuit, ut anni, quo Gelon vicit, memoriam apud auctorem aliquem suum, velut apud illum, cui praeclaram illam statuarum et anathematum descriptionem acceptam refert, traditam reperiret, utque simplicissima ratione annum ex illius fide transcriberet, minume sollicitus de aliqua, quae inde oriri posset, repugnantia. Possint haec opponi sententiae nostrae, quae eo redit, ut Pausaniam nullam Hieronis ol. 73 (= 488) victoriam legisse dicamus. Sed illa adversariorum argumentatio quo, quaeso, fundamento nititur! Sumunt illi, Pausaniam anagrapha olympionicarum aut nunquam usum esse, ut ab eo scriptore tam egregii subsidii usus omnino abiudicandus sit, quae opinio quam audax sit, neminem fugere potest; aut Pausaniam anagrapham admodum indiligenter et sine certa regula prout libitum esset, adhibuisse. Devolvimur igitur ad magnam et difficilem quaestionem, qua eruendum erit, Pausanias in libro suo VI quibus potissumum fontibus et quomodo eis usus sit. Sed haec quaestio, licet paullo implicatior, tamen declinanda et subterfugienda minume est, siquidem hac sola ratione de anno, quo carmen Pindaricum Ol. I compositum sit, certam iudicandi normam parare licebit.

Atque tota haec quaestio quam necessaria sit, vel inde intellegi potest, quod vel a doctissimis viris Pausaniae insignem hodieque iniuriam fieri videmus. Etenim egregie sane meruit de toto hoc studiorum genere, quod in agonisticis Olympiae antiquitatibus versatur, vir praestantissimus Ioannes Rutgers, quem honoris caussa nomino, qui in optimo ad Iulium Africanum commentario olympionicarum indicem tam plenum et copiosum, quantum in hoc litterarum naufragio omnino licuit, restituere conatus est. Is igitur in editione Africani p. 32 sq. sub ol. 73 (= 488) ambas illas victorias fratrum germanorum, Gelonis et Hieronis, alteram proxume iuxta alteram collocavit, Pindari scholiastam secutus, qui Hieronem ol. 73 (= 488) celete vicisse tradit. Cum hac scholiastae temporum definitione adversa fronte pugnat Pausaniae VI, 9, 4 disputatio, quam ipsam quoque Rutgersius adposuit, nullo verbo ea inter se discrepare significans. Tamen magnum opinor est, quod ex hac testium discrepantia sequitur. Nam si scholiastae ad Pindarum, id quod volt Rutgersius, fides habenda est, necessario de Pausania statuendum erit, eum eo ipso loco, in quo maxume res poscebat, ut anagrapha olympionicarum diligenter inspiceretur, praestantissimo huic subsidio magnas ferias et otium decrevisse. Haec et similia, quae Pausaniae nunc

obiciuntur, interim, donec in eius fontes subtilius inquisitum erit, mussitanda et accipienda sunt. Sed veniet, opinor, illa dies, qua Pausaniam diligentem et lectorem et cultorem anagraphae Olympicae fuisse constabit.

11. In Pausaniae fontibus explorandis viam monstrant narrationes de athletarum vitis et rebus gestis. Praelucent ceteris Euthymi pyctae (Paus. VI, 6, 4) fata.

Iam igitur nunc accingamur oportet ad quaestionem de eis Pausaniae fontibus, quibus in rebus agonisticis describendis per librum VI usus est. Nam quaestionem de auctoribus Pausaniae in statuarum et omnino artis operum descriptione Olympiaca nunc missam faciamus. Sufficit interim de his rebus lectores relegasse ad librum subtiliter et eleganter scriptum Pauli Hirt: de Fontibus Pausaniae in Eliacis, Gryphiswaldiae, 1878; conf. inprimis p. 54. Atque idem vir doctus de agonisticarum quoque antiquitatum fontibus apud Pausaniam in eodem libro peritissime et prudentissume disseruit, p. 20 sqq. Sed quoniam rem nondum absolvit et quia sane ultra eos terminos, in quibus ille substitit, aliquantum procedere licet, deinde quia diversa paullulum via in hac quaestione instituenda ingressuri sumus, minume abs re erit, denuo hanc materiam in incudem revocare. In antiquitatibus igitur agonisticis ludorum Olympicorum tradendis duo sunt potissumum rerum genera, in quae oculos suos Pausanias convertit. Alterum genus ad leges et instituta certaminum spectat, ad tempora, quibus nova certamina introducta, vetustiora abolita sint, potissumum vero ad victorias in diversis certaminum generibus impetratas, chronologiae ratione diligenter plerumque habita. Alterum deinde genus versatur in athletarum personis considerandis; nam in talibus viris, qui decus et splendor omnis Graeciae erant, omnia cupientissimis sitientibusque auribus expetebantur: fata, res gestae, dicta, vitae consuetudines, denique genus mortis. Pausaniam minume fugiebat, earum narrationum, universo populo maxume dilectarum, additamentis optime se alterius illius materiae ieiunitatem et asperitatem condire et exhilarare posse. Itaque non parca manu acceptissimas illas historiarum fabularumque delicias operi inspersit.

Iam si primum nunc quaeramus, e quibusnam pratis et ex quo tandem litterarum genere Pausanias hosce flores collegerit, gratissimum dictu est, rursum benignam quandem Fortunam ita studiis nostris prospexisse, ut in unius athletae Euthymi, cuius fata Pausanias quoque VI, 6, 4—11 persequitur, historia totum genus unde fluxerit, luculenter illustrari possit. Viderat igitur Pausanias Olympiae statuam Euthymi Locri Epizephyrii, pyctae excellentissimi, a Pythagora sculptam. Euthymus ter pugilatu vicerat ol. 74 (= 484), ol. 76 (= 476) et ol. 77 (= 472); semel inferior discesserat ol. 75 (= 480). Iam Pausanias de eius vita et rebus gestis gratissimum deverticulum inserit. Euthymum ait cum tot victoriarum palmis ornatus in patriam Italiam revertisset, quondam iter facientem forte fortuna Temesam urbem (Strab. VI p. 255 extr.) praeteriisse, cum necopinato ad aures eius feralis oppidanorum planctus et miserrimae lamentationes acciderint. Accessit

propius et comperit, adesse ipsam illam tristissimam omnium diem, qua rursus, id quod quotannis inde ab antiquissimis iam temporibus in fatis sibi sit, summa calamitas Temesaeis exantlanda esset. Nam quondam, quom Ulixes cum comitibus ad Temesaeorum litus adpulisset, eorum comitum unum, Politen nomine, qui admodum insolenter se gesserit, Temesaeos coniectis in eum lapidibus necasse. Eius rei se nunc poenam luere: eius enim viri umbram taeterrimi monstri habitu et forma indutam Temesaeos omni ratione, rapinis, tributa poscendo, terrorem incutiendo tam diu vexasse, donec, consulto tandem de ea calamitate oraculo Delphico, hoc crudelissimum eius mali remedium ex Apollinis ore acceperint: ad placandam deorum iram quotannis statuta die pulcherrimam e virginibus Temesaeis praedae loco monstro illi tradendam esse. Atque tunc ipsum fatalis rursus illa dies recurrerat, omniaque iam adparabantur, ut virgo in herois Politae, nam heros etiam ut nuncuparetur nefarius ille extorserat, sacrarium abduceretur. Euthymus misericordia percussus, cum pulcherrimam virginem adspexisset, fato commiserando etiam pulchriorem, amore e praecordiis exarsit ac firmato ilico consilio, ut virginem comitari et avidissimum illud monstrum expectare atque quemadmodum illo dignum esset, excipere sibi liceret, petiit. Generosa hominis audacia felicissimo eventu comprobata est. Venit heros ad praedam abducendam, sed a fortissumo pugile in fugam coniectus est, et non abstitit Euthymus a persequendo, donec fugiens ille in mare se coniceret eum in modum, ut ab illa clade in perpetuum Temesaei liberarentur; Paus. VI, 6, 10: καὶ, ἐξηλαύνετο γὰρ ἐκ τῆς γῆς, ὁ Ἥρως ἀφανίζεταί τε καταδὺς ἐς θάλασσαν. Nupsit denique virgo strenuissumo salutis suae servatori.

12. In narrationis de Euthymo fontibus eruendis egregie eo adiuvamur, quod Callimachus luculento aliquo apud Plin. n. h. VII, §. 152 fragmento Euthymi ἀφηρώιξιν describit.

Norunt et ex parte tangunt hanc fabulam scriptores plurimi, licet in minutis quibusdam rebus a Pausania discedant, velut Aelianus, Var. Hist. VIII, 18; deinde Strabo VI, 255; Eustath. ad Od. α, 185 p. 1409, 15, et, quoniam proverbium inde natum est: ἐν Τεμέσῃ ἥρως, Plutarchus, Proverb. cent. II, 31 (ed. Gotting. I, 342) et Suid. s. v. ὁ ἐν Τεμέσῃ. Gravissimus vero de Euthymi fatis praeter Pausaniam testis est Callimachus, cuius aliquo opere in mirabilibus Euthymi eventis narrandis Plinius usus est, Nat. hist. VII, §. 152. Hac Callimachi apud Plinium narratione illa quae ex Pausania novimus, pulchro et valde notabili aliquo additamento supplentur. Narraverat Callimachus, Euthymo Delphici oraculi mandatu et vivo etiamtunc et deinde mortuo divinos honores haberi coeptos esse. Praeterea rem paradoxam mirificamque, unde quam carus dis immortalibus athleta ille fuerit, luculenter cognosci potuerit, Callimachus tradiderat: Euthymi duae statuae, altera Olympiae posita, altera apud Locros in patria, ambae eodem die de caelo tactae erant. Optumum erit ipsius Plinii verba, quibus quae copiosius Callimachus enarraverat, ad compendium contulit, adscripsisse. Cum vero apud Plinium haec omnia in codicibus

valde corrupta legerentur, exortus est vir de Callimacho egregie meritus, Carolus Dilthey, qui in Analectis Callimacheis, Bonnae 1865, p. 21 remotis interpolationibus hunc in modum Plinii verba restituit, Plin. VII, §. 152: *Consecratus est vivos sentiensque eiusdem oraculi iussu et Iovis deorum summi adstipulatu Euthymus pycta, semper Olympiae victor et semel victus. patria ei Locri in Italia. ibi imaginem eius et Olympiae alteram eodem die tactam fulmine Callimachum ut nihil aliud miratum video deumque ei* ("*ad cumque*" codd. Plin.) *iussisse sacrificari, quod et vivo factitatum et mortuo, nihilque adeo mirum umquam* ("*mirum aliud quam*" codd. Plin.) *placuisse dis.*

13. Athletarum ἀφηρωϊξις institutum est late patens apud Graecos. Quanta eruditorum sit contentio de libro, quo Callimachus de Euthymo egerit.

Narraverat igitur de Euthymo Callimachus idem, quod de tot aliis athletis traditur, de duobus saltem Pausanias rettulit: eos, quia dis cari fuerint, divinis vel heroicis honoribus cultos esse. Tradit hoc Pausanias de Cleomede Astypalaeensi (Paus. VI, 9, 8), oraculum etiam adferens, quo Apollo Delphicus apotheosin vel apheroïxin (ἀφηρωϊξιν) iusserit: Ὕστατος ἡρώων Κλεομήδης Ἀστυπαλαιεύς, || ὃν θυσίαις τιμᾶθ', ἅτε μηκέτι θνητὸν ἐόντα. conf. Plut. Romul. 28 et Euseb. Praep. Evang. V, 34, 2—9. Deinde Theagenem quoque Thasium post mortem heroicis honoribus coli coeptum esse, legimus, novomque hunc heroem saepe mortalibus, opem eius in gravi valetudine implorantibus, salutarem fuisse; Paus. VI, 11, 8: Θάσιοι δὲ ἀναθέντες (τὸν τοῦ Θεαγένους ἀνδριάντα) ἔνθα καὶ ἐξ ἀρχῆς ἔκειτο, νομίζουσιν ἅτε θεῷ θύειν . . . Πολλαχοῦ δὲ καὶ . . . οἶδα . . . καὶ νοσήματά τε αὐτὸν ἰώμενον καὶ ἔχοντα παρὰ τῶν ἐπιχωρίων τιμάς. conf. Euseb. Praep. Ev. V, 34, 9—14. Similia de Pulydamante Scotussaeo pancratiasta narrabantur, cuius vitam Paus. VI, 5, 1—9 percurrit; apotheosin eius et vires post mortem medicas tangit Lucianus, Deorum concilium 12: ἤδη καὶ ὁ Πολυδάμαντος τοῦ ἀθλητοῦ ἀνδριὰς ἰᾶται τοὺς πυρέττοντας ἐν Ὀλυμπίᾳ καὶ ὁ Θεαγένους ἐν Θάσῳ, καὶ Ἕκτορι θύουσιν ἐν Ἰλίῳ καὶ Πρωτεσιλάῳ . . . ἐν Χερρονήσῳ. Plurimi igitur illustres athletae fuerunt, quibus post mortem oraculi iussu divini honores et sacra instituta sunt. Sed hos omnes in una re Euthymus Locrus, pugil, superare videbatur: is non mortuus demum, sed, quae sunt Callimachi apud Plinium VII, §. 152 verba, "vivos sentiensque" in numinum divinorum ordinem receptus est, ipsorum deorum iussu mandatuque. Haec res Callimachum tantopere in admirationem adegerat; nam non hercle id ille miratus est, ex athleta heroem factum esse; hoc enim pervolgatum videri potuit; sed summum hunc honorem vivo etiamtunc Euthymo obtigisse.

Sed reminiscendum nunc est, totam illam de fatis Euthymi historiam nobis pro Ariadnae filo esse ad illud litterarum genus inveniendum, unde Pausanias narrationes illas de athletis illustribus sumpserit, quibus, uti diximus, severioris doctrinae apparatum exornare et exhilarare solet. Quare maximo opere nunc nostra scire interest, in quonam tot operum suorum volumine Battiades illam de Euthymo narrationem tradiderit. Ac de hac

quidem quaestione summa inter viros doctos controversia exarsit. Primum enim nonnulli, id quod sane ad divinandum proxumum videri potuit, de Callimachi opere notissimo: Θαυμασίων καὶ παραδόξων συναγωγή cogitarunt, cuius fragmenta optime composuit Otto Schneider, Callimachea II, 329—350. In ea sententia Silligius ad Plin. nat. hist. VII, §. 152 et Paulus Hirt, de Paus. font. in Eliacis p. 26 fuerunt. Hos viros doctos recte, opinor, Dilthey l. s. et Schneiderus l. s. p. 579 ita refutarunt, ut universo eius operis instituto et consilio illam de Euthymo historiam refragari dicerent. Deinde Bergkius Anthol. lyrica, ed. II, Lips. 1868 p. XVIII Euthymi fata illa mirabilia epigrammate aliquo a Callimacho celebrata esse censet, unde Plinius profecerit; quam coniecturam suo calculo Schneiderus quoque p. 579 probavit. At obstat huic opinioni, quod rerum copia, quam Plinius significat, epigrammatis modulum excedit.

14. Callimachi περὶ ἀγώνων librum Carolum Dilthey egregie a suspitionibus vindicasse. Auctores περὶ ἀγώνων materiam secundum genera quaedam distribuebant, quorum unum fuit: de castimonia.

Relinquitur igitur tertia sententia, maxume iam per se ipsa probabilis, quam primus professus est Dilthey, Anal. Call. p. 22, amplexus deinde est et strenue defendit Guilelmus Lange, de Callimachi Aetiis, Lips. 1882, p. 24. Novimus Callimachei libri περὶ ἀγώνων titulum ex Harpocratione s. v. Ἄκτια ἀγὼν παλαιὸς ἦν, ὡς δῆλον ποιεῖ Καλλίμαχος ἐν τῷ περὶ ἀγώνων. Librorum περὶ ἀγώνων post Duridis Samii (conf. Fragm. Hist. Gr. II, 486) et Callimachi exemplum uberrima effloruit copia. Eorum auctores nequaquam in ludorum institutis, legibus, historia describendis se continebant, immo plurima quoque ex clarissimorum athletarum vitis et rebus gestis delibasse eisque floribus hortos suos condecorasse videntur. Eo digitum iam intendit Diltheyus, Anal. Call. p. 21, locum comparans ex Theodori Hierapolitae περὶ ἀγώνων opere apud Athenaeum X, 412, e, ubi quanta ad vescendum bibendumque Milo Crotoniata capacitate fuerit, luculenter describitur. Etiam quae ibidem continuo post de Titormo Aetolo narrantur, indidem petita crediderim comparato Aeliano Var. Hist. XII, 22.

Qui vero paullulum scriptorum illorum περὶ ἀγώνων fragmenta considerarit et expenderit, eum fugere vix potest, eos de athletarum rebus gestis hunc in modum tradidisse, ut secundum genera quaedam vel capita ea, quae compluribus athletis seu in fatis, seu in vitae consuetudinibus communia et similia fuissent, componerent et in uno conspectu collocarent, ut qui de istiusmodi aliqua re edoceri vellet, tanto commodius omnia reperiret. Hoc ita se habuisse, facile ex eis, quae de athletis apud auctores tradita reperiuntur, firmari potest. Pauca exempla rem illustrabunt. Unum ex ea materia caput fuit: de athletarum castimonia, sive: quemadmodum athletae venere usi essent. In universum summa athletarum temperantia et continentia praedicabatur; enumerabantur aliquot, qui prorsus a venere per totam vitam abstinuissent. Res ipsa tam ad artem

medicam, quam ad agonisticam spectans alicuius hercle videri ponderis potuit. Itaque complures scriptores talia commemorant. Schol. ad Plat. Legg. VIII, 260 (Schol. Plat. ed. Turic. 1841, p. 154): σταδιοδρόμοι γάμων ἀπάντων ἀπείρατοι· α΄ Ἴκκος Ταραντῖνος, β΄ Κρίσων Ἱμεραῖος, γ΄ Ἀστύλος Κροτωνιάτης, δ΄ Διόπομπος Θεσσαλός. Clem. Alex. Strom. III, 6, §. 50 (vol. II. p. 240 ed. Klotz): ἀθλητὰς οὐκ ὀλίγους ἀφροδισίων ἀπέχεσθαι δι᾽ ἄσκησιν σωματικὴν ἐγκρατευομένους, καθάπερ τὸν Κροτωνιάτην Ἀστύλον καὶ Κρίσωνα τὸν Ἱμεραῖον. Ἀμοιβεὺς δὲ ὁ κιθαρῳδὸς νεόγαμος ὢν ἀπέσχετο τῆς νύμφης, ὅ τε Κυρηναῖος Ἀριστοτέλης Λαΐδα ἐρῶσαν ὑπερεώρα μόνος. Pergit Clemens narrare, quomodo Aristoteles Cyrenaeus (Aeliano, Var. hist. X, 2, Eubotas audit) facetissime Laïdem eluserit. Iuraverat, se Laïdem secum Cyrenas abducturum. Cum Laïdis ope in certamine vicisset, promisso ita stetit, ut Laïdem sane secum domum in navi abduceret, sed Laïdem a pictore summa fide pictam, non veram Laïdem. Eam historiam Ister Cyrenaeus narraverat, qui unus est scriptorum περὶ ἀγώνων, quemadmodum testatur Clem. Alex. Strom. III, 6, §. 51: ὡς ἱστορεῖ Ἴστρος ἐν τῷ περὶ ἰδιότητος ἄθλων· conf. Fragm. hist. Gr. I, 424. Ad eosdem scriptores revocandum est, quod de Milonis Crotoniatae in hoc genere incontinentia narratur. Miloni, ita fere tradit Aelianus (qui omnino multus fuit in scriptoribus περὶ ἀγώνων compilandis, conf. Paulum Hirt, de font. Paus. p. 25 sq.), Var. hist. II, 24, nemo quisquam ex adversariis malum Punicum, quod manu comprehendisset, eripere ullis machinis valebat. Iam ridiculum visu fuit, cum una muliercula, amica eius, idem illud opera facillima perficere soleret: ἐκ δὲ τούτου νοεῖν ἔσται, inquit Alianus, ὅτι ὁ Μίλων ἰσχυρὸς μὲν τὸ σῶμα ἦν, ἀνδρεῖος δὲ τὴν ψυχὴν οὐκ ἦν. Amoebeo plura Aelian., V. H. III, 30.

15. Quaenam in capita auctores περὶ ἀγώνων materiam de fatis et factis athletarum distribuerint, amplius etiam illustratur.

Deinde alius quidam scriptorum περὶ ἀγώνων locus studiose excultus is erat, ut exempla colligerentur eorum athletarum, quos aut in extremo certamine, aut paullo ante ipsam in Altide pugnam gymnastae, a quibus exercitati et instituti fuerant, generoso aliquo dicto vel pia etiam aliqua fraude ad extremam virium contentionem extimulavissent. Talem exemplorum seriem persequitur Philostratus, Gymnast. 20, vol. II, 271 extr. Kayser: ὁπόσα δὲ γυμνασταὶ ξυνεβάλοντο ἀθληταῖς ἢ παρακελευσάμενοί τι ἢ ἐπιπλήξαντες ἢ ἀπειλήσαντες ἢ σοφισάμενοι, πολλὰ μὲν ταῦτα καὶ πλείω λόγου, λεγέσθω δὲ τὰ ἐλλογιμώτερα. Sequuntur quinque exempla generalem illam regulam illustrantia. Tertium rursus caput fuit de somniis et oraculis felicem certaminum exitum praedicentibus, cuius generis exempla sunt narrationes apud Pausaniam de Dinolocho, Paus. VI, 1, 5 et de Eubota, Paus. VI, 8, 3. Clarissimum in hac classe fuit Tisameni Elei exemplum, quod ab Herodoto IX, 33 iam celebratum recoluit Paus. III, 11, 6 et VI, 14, 13. Porro illud quoque ab illis περὶ ἀγώνων scrutatoribus observatum est, quam mirifica interdum ratione ex Altide Olympica brevissimo tempore victoriae nuntius in terras admodum remotas ad parentes pervenerit. Taurosthenes Aegineta columbam secum abduxerat, quae pullos in nido domi habebat.

Ea post impetratam victoriam vitta purpurea ornata et dimissa eodem die parentes victoriae conscios fecit: Ael., V. hist. IX. 2. Paullo etiam mirabilius apud Paus. VI, 9, 3. Magnam porro materiam narrandi athletarum illustrium certamina privata et roboris specimina a ludibundis edita praebebant, quo in genere tanta paullatim rerum copia procusa est, ut integris bibliothecis suffectura fuisse videatur. Narrat Plutarchus, Praec. ger. reipubl. 15, 7 (p. 990 extr. Duebn.) Theagenem Thasium, ol. 76 (= 476) victorem, quondam, ut assoleat, intervenisse cum heroi cuidam sacra funebria summo apparatu celebrarentur. Iam, id quod mos postularit, omnibus, qui ad solemnia concelebranda convenissent, cenae funebris singulas singulis portiones, una cum coronis sacrorum caussa capiti imponendis, adpositas esse. Tum repente Theagenem Thasium virium suarum fiducia contumacem, exiluisse et omnes illos hospites, ut secum singulari quisque certamine de cenae portione et corona dimicarent, provocasse. Nullum in tot hominibus fuisse, quin inferior et victus e pugna discesserit. Hunc in modum illum pancratiastica sua arte mille et ducentas coronas collegisse: προτεθείσης ἅπασι τῆς μερίδος, ἀναπηδήσας, διεπαγκρατίασεν, ὡς οὐδένα νικᾶν δέον αὐτοῦ παρόντος· ὅθεν ἤθροισε χιλίους καὶ διακοσίους στεφάνους. De his coronis contemptim sane ut philosophus Plutarchus iudicat: ὧν συρφετὸν ἄν τις ἡγήσαιτο τοὺς πλείστους. Pausanias, uti solet, tantam virtutem admirans longe reverentius VI. 11. 6: τοὺς δὲ σύμπαντας στεφάνους τετρακοσίους τε ἔσχε καὶ χιλίους.

16. Callimachus uno operis περὶ ἀγώνων capite de athletarum apotheosi egerat eamque exemplis enarratis illustrarat. Idem, sed acerba cum irrisione fecit Oenomaus Gadarensis apud Euseb. Pr. Ev. V, 34.

Fuit igitur haec scriptorum περὶ ἀγώνων consuetudo, ut similia diversorum athletarum facta et fata coniunctim in uno genere collocata enarrarent. Quam rem si consideremus, magna probabilitate colligere licebit, praestantissimam quoque illam apud Plinium n. h. VII. §. 152 Callimachi narrationem haudquaquam seorsum traditam fuisse, sed in similium exemplorum classe quadam locum obtinuisse. Huic vero classi si quaeras, quod commune signum fuerit, responsum profecto in aperto est: Callimachus in illa operis sui parte eorum athletarum, quibus divini vel heroici honores oraculi iussu decreti essent, indicem aliquem proposuerat. Accedit ad hanc coniecturam firmandam, quod in illo Callimachi loco Euthymi sors ab aliorum athletarum, quibus simile quid obtigerit, sorte data opera distinguitur. Euthymi apotheosis vel ἀφηρώιξις ea re singularis est, quod viventi etiamtunc sentientique evenit. Hoc discrimen ita demum recte illustrari potuit, si aliorum quoque athletarum exempla, qui non vivi, sed post fata demum terrestria exacta consecrati essent, in comparationem ab auctore vocata esse statuamus. His consideratis minime iam audax videbitur, si statuamus, Callimachum in operis περὶ ἀγώνων uno aliquo capite de athletarum apotheosi egisse, eamque aliquot exemplis illustribus enarratis persecutum esse.

Iam felicissime accidit, ut huius capitis argumentum copiosius etiam et uberius, quam in tanta litterarum iactura expectari possit, describere liceat. Nam talis athletarum post mortem consecratorum indicis fragmentum sat amplum ad aetatem nostram propagatum est. Eusebius in Praep. Evang. libro V copiosissume de Apollinis oraculis egit, quae humano generi semper perniciei magis et damno, quam emolumento fuerint. Magna huius libri pars, eius rei exemplis referta, excerpta est ex Oenomai Gadarensis, Hadriani liberti, clarissimo sane aetatis suae opere: Γοήτων φώρα. Iam unum Eusebiani libri V caput: 34 totum versatur in eis oraculis perstringendis et castigandis, quorum mandatu athletarum apotheoses institutae sint. Haec exempla, quemadmodum usque adhuc creditum est, Oenomai diligentiae debebamus; sed multo nunc, hercle, probabilius est, hunc auctorem ea iam prompta et parata apud Callimachum invenisse, ut ipsi Oenomao nihil adiungendum fuerit, nisi venenati illi facetiarum et conviciorum sales, quibus, interdum haud sane urbane et eleganter, antiquarum religionum superstitionem exagitavit.

17. Athletarum, quorum apotheoses Oenomaus enarrat, omnium haec sors est, ut a civibus suis insigni iniuria afficiantur, deinde deorum ultorum mandatu ad divinos honores evehantur.

Tota res clarior etiam fiet, si singula accuratius paullulum examinaverimus. Omnibus illis apud Oenomaum de athletarum consecratione narrationibus una res communis est: athletae illi in ipso vitae exitu a civibus suis magna aliqua iniuria adficiuntur, et cum ipsi egregie de patriae suae gloria meriti sint, cives isti ingrati aut omnino eorum memoriam non curant, aut ignominiose etiam eam conculcant. Primum narratur de Cleomedis Astypalaeensis fatis, Eus. Pr. Ev. V, 34 2—8, coll. Paus. VI, 9, 6. Cleomedes propter negatam sibi Olympiae palmam in furorem actus domum, Astypalaeam, redierat; ibi cum sui compos non esset, in ludum puerorum penetravit et una eius aedificii columna ictu ingenti prostrata sexaginta pueros obruit. Deinde cum in aedem Minervae fugam capessivisset et undique a civibus lapidibus peteretur, in sacram quandam arcam, quae forte ibi statuta erat, inscendit eiusque operculum supra se clausum tanta vi retinuit, ut aperiri nullo modo posset. Tandem omnibus machinis adhibitis avolso operculo arca vacua reperta est. Astypalaeenses consulto super eo miraculo Apolline, Cleomedem ut heroem divinis honoribus colere iussi sunt.

Simillima est narratio de Theagene Thasio pugile, Euseb. Pr. Ev. V, 34, 8—14, coll. Paus. VI, 11, 2—9. Ei hac vita functo statuam in patria urbe cives posuerant. Verum mortuum unus quidam ex inimicis quietem agere passus non est, immo quot noctibus statuam Theagenis flagellis caedere omnique modo conculcare instituit. Eam insolentiam statua ipsa divinitus impulsa ulta est. Cum insanus ille rursus in flagellando persisteret, repente sede sua mota in eum incidit eumque exanimavit. Thasii statuam propter caedem perpetratam in iudicium vocarunt, damnatam in mare abiecerunt. Sed ecce repente

fames et sterilitas in Thasum ingruunt. Thasii nullius iniuriae sibi conscii deum Delphicum adeunt. Is primum obscure respondet: Euseb. l. s. §. 13: εἰς πάτρην φυγάδας κατάγων Δήμητρ' ἀπαμήσεις.

Quo audito Thasii omnes exules sine mora revocant, toto, quod aiunt, caelo a vero ab errantes. Nam neutiquam fames remisit nullaque in illo obsequio medicina reperta est. Itaque denuo ad deum miserunt, ut clarius, quid vellet, aperiret. Tum denique, ut narrat Pausanias VI, 11, 8, sine suetis ambagibus deus hunc in modum locutus est: Θεαγένην δ' ἄμνηστον ἀφήκατε τὸν μέγαν ὑμέων. Dubitantibus, qua arte statuam in mare abiectam recuperare possent, duo piscatores superveniunt, quorum in retia mirifica illa praeda, Theagenis simulacrum, irrepserat. Statua in basin suam restituta ilico terra floribus graminibusque vestiri coepta est et ubique segetes luxuriantes obortae sunt; Euseb. Praep. Ev. V, 34, 14: ἅμα γὰρ ἀνεστάθη καὶ εὐθὺς ἡ μὲν γῆ ἀνέθαλλεν. οἱ δὲ [ἀγροὶ, hoc addendum] ἐκόμων Δήμητρι λοιπόν.

18. Apotheoseos athletarum apud Oenomaum Eus. Pr. Ev. V, 34 exempla, quae unam continuam seriem efficiant, ex Callimachi περὶ ἀγώνων libro delibata videri.

Ad has duas narrationes tertia accedit eandem deorum tutelam erga fortissumos athletas testata, Euseb. l. s. § 15—17. Fuit Euthycles pentathlus, Locrus Epizephyrius, cui pro egregiis victoriis, quibus patriam claram reddiderat, cives pessimam gratiam rettulerunt. Cum enim Euthycles rursus in ludis quibusdam vicisset et in ea victoria se non Locrum renuntiari iussisset, sed alius cuiusdam, cui hunc honorem amicitiae caussa gratificaturus erat, urbis civem, Locri Epizephyrii, qui illum pecunia corruptum id ausum suspicarentur, in tantam iram exarserunt, ut eum licet innocentissumum non tantum in carcerem conicerent, sed cum ibi in vinculis mortuus esset, statuis quoque eius, quas antea ei erexerant, indignissume insultarent. Nam in hoc sane honoris publici custodiendi studio Graecorum populi maxume irritabiles erant, si quis in publicis certaminibus victor non patriae suae se civem, sed alius civitatis dixisset; eum patriae neglectum saepe gravi poena ulti et persecuti sunt. Simile est, quod de Astylo Crotoniata legimus apud Pausaniam VI, 13, 1: ὅτι δὲ ἐν δύο ταῖς ὑστέραις (sc. νίκαις) ἐς χάριν τὴν Ἱέρωνος τοῦ Δεινομένους ἀνηγόρευσεν αὑτὸν Συρακόσιον, τούτων ἕνεκα οἱ Κροτωνιᾶται τὴν οἰκίαν αὐτοῦ δεσμωτήριον εἶναι κατέγνωσαν καὶ τὴν εἰκόνα καθεῖλον τῇ Ἥρᾳ τῇ Λακινίᾳ κειμένην.

Locri igitur Epizephyrii simili vel maiore etiam odio in Euthyclem invecti sunt; narrat Eusebius Pr. Ev. V, 34, 16: Εὐθυκλέα τὸν πένταθλον ἐνέβαλον εἰς εἱρκτὴν, αἰτιασάμενοι αὐτὸν ἐπὶ τῇ πατρίδι εἰληφέναι δῶρα· καὶ οὐ μόνον τοῦτο, ἀλλὰ καὶ ἀποθανόντος καὶ οὗτοι (i. e. Locri non minus, quam Thasii) εἰς τὰς εἰκόνας ἐξύβριζον. Haec usque facere perrexerunt, donec tandem deos immortales Euthyclis miseritum est, itaque Locris frenos imposuerunt

fame rursus et frugum inopia immissa. Iam Locri perdomiti et meliora edocti ad oraculum rursus confugiunt, cuius hoc responsum tulerunt: Eus. l. s. § 15: ἐν τιμῇ τὸν ἄτιμον ἔχων τότε γῆν ἀναρώσεις.

Hae igitur tres narrationes inter se simillimae et eiusdem omnes quasi consilii interpretes fragmentum haud dubie sunt amplioris cuiusdam catalogi, quo eorum athletarum, qui post mortem divinis honoribus decorati essent, memoria percensebatur. Ad talem aliquem catalogum Callimachi quoque apud Plinium VII, § 152 de Euthymo narratio revocanda est. Atque cum supra a nobis demonstratum sit, auctores περὶ ἀγώνων athletarum fata secundum certa rerum genera et capita enarrasse, ut luculentum demonstrationis nostrae fructum hoc iam proponere licebit: Oenomaum ipsius Callimachi copias delibasse et in usum suum convertisse.

19. In anagraphis iam olympionicarum summatim de athletarum fatis et factis traditum fuisse; copiosius hanc materiam auctores περὶ ἀγώνων excoluisse.

Iam si oculos retro vertamus, unum praeterea est, quod ipsum quoque nunc iam certius et firmatius videbitur: Narrationes de athletarum fatis et factis magna ex parte fluxisse e scriptorum περὶ ἀγώνων operibus, atque ea quoque, quae Pausanias ex hoc genere satis multa et luculenta habet, indidem desumpta esse. Sed ne cui nimium cupide haec decrevisse videamur, est sane res quaedam, unde argumentum adversus nostram illam sententiam peti possit. Constat enim, in anagrapha quoque olympionicarum, qualis ab Aristotele in opere Ὀλυμπιονῖκαι vel ab Eratosthene proposita est, de olympionicarum vita et rebus gestis satis copiose expositum fuisse et principalis illius materiae, quae in nominum et temporum memoria servanda posita erat, ieiunitatem historiis auditu venustis et lepidis prudentissimos illos scriptores mitigasse et variasse.

Hoc ita se habere ex Iulii Africani Olympiadum anagrapha primo iam adspectu patet, ubi plurima de rebus athletarum inserta sunt, quae cum ipsa, cui adscripta sunt, victoria nullo arctiore vinculo cohaerent; velut de Lygdami Syracusio, pancratiasta, ol. 33 (= 648) Afric. ed. Rutg. p. 12: ἐνίκα Λύγδαμις Συρακόσιος ὑπερμεγέθης, ὃς στάδιον ἐξεμέτρησε τοῖς αὐτοῦ ποσίν, μόνος ἑξακοσίας παραθέσεις ποιησάμενος, vel de Polymestore puero cursore, ol. 46 (= 596) ib. p. 17: καὶ Πολυμήστωρ Μιλήσιος παίδων στάδιον, ὃς αἰπολῶν λαγὼν κατέλαβεν, vel denique de Aristodamo Eleo, luctatore, ol. 98 (= 388), ib. p. 58: Ἀριστόδαμος Ἠλεῖος πάλην, οὗ μέσα οὐδεὶς ἔλαβεν. Apud Africanum haec in brevius contracta sunt, quae apud potiores scriptores, quibus non cursorum tantum, sed omnium olympionicarum nomina perscribere propositum esset, quique omnino totam hanc materiam luculentius exornandam sibi sumpsissent, multo copiosius enarrata erant. Attamen non adducor, ut omnia, quae de athletarum rebus gestis et vita narrantur, tam plene in anagrapha exposita fuisse credam. Tam longe a cursu proposito Aristotelem vel Eratosthenem expatia-

tum esse, vix verisimile est. Quae apud Gellium XV, 16 de Milone Crotoniata traduntur, eiusmodi sunt, ut ex anagrapha petita videantur, idque ipso verbo *chronicorum*, quo Gellius utitur, commendatur. Gellius l. s.: *Milo Crotoniensis, athleta illustris, quem in chronicis scriptum est olympiade* [*LXII*] *primum* ("prima" codd.) *coronatum esse, exitum habuit e vita miserandum et mirandum.* Sequitur fabula notissima de Milonis morte. Haec libenter Paulo Hirt: de Font. Pausaniae in Eliac. p. 24 ex anagrapha desumpta esse, concesserim. Sed ea, quae Pausanias VI, 14, 2—8 de Milone narrat, aliquanto iam copiosiora sunt tantamque varietatem ostendunt, ut de auctorum περὶ ἀγώνων apud Pausaniam usu cogitare malim.

20. Scriptorum περὶ ἀγώνων agmen ducit Duris Samius, mirifice ad hoc scribendi genus instructus. Apud Pausaniam VI, 13, 5 num Duridis pugilis memoria certa sit.

Quoniam igitur valde verisimile est, eos auctores, quos nos manibus terimus, in narrationibus de athletis magna ex parte ab illis deperditis περὶ ἀγώνων scriptoribus pendere eisque plurima accepta referre, nunc non inutile erit, eorum, qui hoc litterarum genus primi copiosius excoluerunt, memoriam paullo plenius instaurare. Ac vetustissimus quidem litterarum περὶ ἀγώνων parens non Callimachus est, sed scriptor ipse quoque haud ignobilis, aliquanto vero quam Callimachus antiquior et mirum in modum ad res agonisticas describendas iam a prima adulescentia destinatus. Est is Duris Samius, Theophrasti discipulus (Athenaeus IV, 128 [a]), qui Pausania VI, 13, 5 teste Olympiae in puerorum pugilum certamine victor renuntiatus est. Idem aliquot decenniis post, post pugnam, ut videtur, apud Ipsum, patriae tyrannus factus est; conf. Athen. VIII, 337 [d] et Suidas s. v. Λυγκεύς, qui quidem Lynceus frater Duridis fuit. Duris igitur praeter clarissumos "Historiarum" libros opus quoque περὶ ἀγώνων composuerat, qua eam artem, quam puer corpore exercuit, multiplici materia collecta illustravit. Operis titulum Tzetzae debemus ad Lycophr. 613: καὶ Δοῦρίς φησιν ἐν τῷ περὶ ἀγώνων τοὺς βωμοὺς τάφους καλεῖσθαι. Plura fragmenta collegit C. Mueller, Fragm. hist. Gr. II, 486.

Sed pauca illa, quae modo de Duridis vita et rebus,ut certa posuimus, nunc accuratius firmanda sunt, quoniam minume rerum ab omnibus eruditis probantur. Duridis enim omnis memoria praecipue loco aliquo Pausaniae VI, 13, 5 nititur, qui quia non corruptus tantum, sed mutilus etiam traditus est, viros doctos omni tempore maxume occupatos et sollicitos tenuit. Pausanias posteaquam Chionidis Lacedaemonii statuam descripsit, ita pergit verbis corruptius traditis: Χιόνιδος δὲ οὐ πόρρω τῆς ἐν Ὀλυμπίᾳ στήλης καὶ ὃς (ita: καὶ ὃς Mosquensis) ἕστηκεν ὁ Δούριος (ita: ὁ Δούριος Mosq. Vindob.) Σάμιος κρατήσας πυγμῇ παῖδας. Pro verbis hunc in modum traditis: καὶ ὃς Schubart Σκαῖος athletae nomen restitui iubet, Scaeum quendam sibi fingens, qui Duridis filius, Samius, fuerit, quam con-

iecturam probavit et argumentis firmare studuit Joannes Rutgers in praestantissima editione Africani (Lugd. Bat. 1862) p. 137. Hac coniectura accepta Duridis Samii, inter pueros in pugilatu victoris, omnis memoria concidit; ita si scribamus cum Schubartio et Rutgersio, nulla iam Duridis erit puerilis victoria et pulchra illa de puero athleta eodemque postea scriptore περὶ ἀγώνων sententia missa facienda erit.

21. Pausanias VI. 13, 5 de puero Samio, qui pugilatu Olympiae vicerit. loquens eundem tyrannide postea potitum significat. Haec in solum Duridem cadunt.

Verum contra illam, qua "Scaei" athletae nomen Pausaniae obtruditur, coniecturam exortus est pulchra et efficaci argumentatione usus Henricus Brunn: Gesch. der Gr. Künstl. I, 424, qui Duridis Samii pueri victoris statuam a Pausania descriptam esse, hoc, ut mihi quidem videtur, invicto argumento demonstravit, quod Pausanias hanc statuam relinquens et ad proximam se convertens clarissume dicit: ab hac "eius tyranni" statua ad Dialli athletae, Pollidis filii, sese nunc transire; Paus. VI, 13, 6 παρὰ δὲ τὸν τύραννον Δίαλλος ὁ Πόλλιδος ἀνάκειται. Etenim Duridem Samiorum aliquo tempore tyrannum fuisse duo saltem testes probant: Athenaeus VIII, 337[d]: Λυγκεὺς δ' ὁ Σάμιος . . . Δούριδος δὲ ἀδελφὸς τοῦ τὰς ἱστορίας γράψαντος καὶ τυραννήσαντος τῆς πατρίδος. et Suidas s. v. Λυγκεύς· Σάμιος γραμματικός, Θεοφράστου γνώριμος, ἀδελφὸς Δούριδος τοῦ ἱστοριογράφου τοῦ καὶ τυραννήσαντος Σάμου. Nam minime credibile est, Suidam sua ex Athenaeo concinnavisse, immo utrumque ex eodem antiquiore quodam auctore hausisse ipsa res docet. Quare non assenserim Rutgersio, qui p. 137 not. 6 de Duridis tyrannide "non satis constare" dicit. Iam his consideratis si constat, Duridis Samii pueri statuam a Pausania VI, 13, 5 descriptam esse, quaeritur, quid vocabulis καὶ ὃς faciendum sit. Godefredus Eckertz, de Duride Samio (Bonnae. 1842) p. 29: παῖς in eis latere censet; Carolus Mueller, Fragm. hist. Gr. II, 467, a. extr. patris Duridis nomen, quod Σκαῖος fuerit; scribendum igitur esse: Σκαίου ἕστηκε Δοῦρις. Mihi probabilior Eckertzii coniectura videtur. His concessis Pausaniae locus ita nunc scribendus erit: Χιόνιδος δὲ οὐ πόρρω τῆς ἐν Ὀλυμπίᾳ στήλης παῖς ἕστηκεν (hoc loco: ὁ delendum) Δοῦρις Σάμιος, κρατήσας πυγμῇ παῖδας.

22. Duridis pueri pugilis victoriam in id tempus incidere, quo ex insula sua Samii per quadraginta tres annos, ab a. 365 ad 322, expulsi fuerint.

Pergit nunc Pausanias annum indicans, quo victoria illa puerilis Duridi obtigerit: id factum esse, quemadmodum eluceat ex epigrammate, illo tempore, quo Samiorum populus ex patria insula ab Atheniensibus, qui cleruchos Samum deduxere, expulsus fuerit; Paus. VI, 13, 5: τὸ δὲ ἐπίγραμμα δηλοῖ τὸ ἐπ' αὐτῷ, νικῆσαι Δοῦριν ("Χίονιν" pro "Δοῦριν" in omnibus codd. aperto errore), ἡνίκα ὁ Σαμίων δῆμος ἔφευγεν ἐκ τῆς νήσου. Hoc Samiorum

ex patria insula exilium quadraginta trium annorum spatium explet; eiecti erant anno 365 a Timotheo Atheniensium duce, qui insulam expugnavit; Polyaenus III, 10, 9: κατὰ κράτος εἷλε τὴν Σαμίων πόλιν. conf. Isocr. περὶ ἀντιδ. § 111; Nepos, Tim. 1. et Rehdantz, Vitae Iphicr. Chabr. Tim. (Berol. 1845) p. 125; A. Schaefer, Dem. I, p. 87. Deinde anno 322 demum Perdiccae potissumum opera Samii in insulam suam restituti sunt; Diod. XVIII, 18, ὁ δὲ Περδίκκας ἀποκαταστήσας Σαμίοις τήν τε πόλιν καὶ χώραν κατήγαγεν αὐτοὺς εἰς τὴν πατρίδα, πεφευγότας ἔτη τρισὶ πλείω τῶν τεσσαράκοντα. conf. Schaef., Dem. III, p. 26 not. 1 et p. 355; Droysen, Diadochen I², 81. Extat inscriptio pulchra, Samiorum in insulam suam reditum egregie illustrans, apud Droysenium, Diad. 2², 361, in qua Gorgo cuidam et Minnioni, civibus Iasensibus, gratiae referuntur, quod erga Samios e patria exules egregiam voluntatem praestiterint, lin. 3: ἐπειδὴ Γόργος καὶ Μιννέων Θεοδότου Ἰασεῖς καλοὶ καὶ ἀγαθοὶ γεγένηνται περὶ Σαμίους ἐν τῇ φυγῇ. Duridis igitur pugilis puerilis victoria intra spatium illud quadraginta trium annorum ab a. 365 ad 322 evenit.

23. Pausaniam VI, 13, 5 in reditus Samiorum tempore definiendo ipsius Duridis in "Historiis" testimonio usum esse.

Sed nondum ad finem disputatio nostra de loco Pausaniae VI, 13, 5, quo de Duridis rebus gestis exposuit, pervenit. Adiecit enim nonnulla Pausanias de tempore accuratius definiendo, quo Samii in patriam redissent, qui locus, ut nunc scribitur, mutilus haud dubie est. Posteaquam dixit: νικῆσαι Δοῦριν, ἡνίκα ὁ Σαμίων δῆμος ἔφευγεν ἐκ τῆς νήσου, ita pergit: τὸν δὲ καιρὸν, καθ' ὃν (haec verba: καθ' ὃν in compluribus codd. desunt) ἐπὶ τὰ οἰκεῖα τὸν δῆμον * * * Παρὰ δὲ τὸν τύραννον Δίαλλος ὁ Πόλλιδος ἀνάκειται. In hac lacuna duas res Pausanias tetigerat: primum tempus recuperatae a Samiis patriae indicarat; deinde id quoque haud dubie memoraverat, tyrannide Duridem potitum esse; nam id si dicere omisisset, nimis abrupte addidisset: παρὰ δὲ τὸν τύραννον. In supplendis eis, quae apud Pausaniam exciderunt, inde proficiscendum est, quod orationis forma ad verbum aliquod narrandi accommodata videtur. Praeterea Kuhnius apud Siebelisium in ed. Paus. vol. III, 2, p. 49 post δῆμον rectissume supplevit: κατελθεῖν συνέβη. Haec si reputemus, quid verisimilius est, quam hoc: Pausaniam Duridem ipsum, historiarum auctorem, testem attulisse locupletissumum de anno, quo Samii, Perdicca auctore, in patriam redierint. De eo anno plane constat ex Diodoro XVIII, 18, qui id factum testatur ol. 114, 3 (= 322). Itaque hunc fere in modum Pausaniae verba mutila supplenda censuerim, Paus. VI, 13, 5: τὸν δὲ καιρὸν, καθ' ὃν ἐπὶ τὰ οἰκεῖα τὸν δῆμον [κατελθεῖν συνέβη, ὁ Δοῦρις αὐτὸς καταλέγει ἐν ταῖς ἱστορίαις εἶναι τὸ τρίτον ἔτος τῆς τετάρτης ὀλυμπιάδος πρὸς ταῖς ἑκατὸν καὶ δέκα, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Μικίνας Ῥόδιος (Diodor. XVII, 113). Μετὰ δὲ ταῦτα τὸν αὐτὸν συνέβη τυραννεῦσαι τῆς πατρίδος.] Παρὰ δὲ τὸν τύραννον . . .

24. Duris in patria quando tyrannidem obtinuerit. De tempore ante pugnam apud Ipsum cogitare vetat titulus Samius praestantissumus Corp. Inscr. Gr. vol. II, No. 2254.

Tempus denique, quo tyrannus Duris in patria sua fuerit, haud facile est ad definiendum. Nam paucis annis post restitutam antiquis incolis Samum, infelix insula denuo a Polysperchonte Atheniensibus donata est, anno 319. Diodorus XVIII, 56 in decreto Polysperchontis haec adfert: Σάμον δὲ δίδομεν Ἀθηναίοις, ἐπειδὴ καὶ Φίλιππος ἔδωκεν ὁ πατήρ. conf. Droysen, Epigonen 1², 226, not. 1; Schaef., Dem. III. 26. Sed Samii libertatem ita defendisse videntur, ut Athenienses a dominatione stabilienda et a cleruchis deducendis tandem absisterent. Proxumis deinde annis liberam plane Samum et sui iuris fuisse, egregio inscriptionis cuiusdam documento constat; habemus exemplar decreti Lysimachi regis, quo controversiam dirimit Samiorum et Prienensium de terrae Batinetidis, in confiniis ambarum civitatium sita, possessione. Lysimachus eam Samiis adiudicavit. Editus est titulus in Corp. Inscr. Gr. II, no. 2254 p. 214, explicatus a Boeckhio ibidem et cum supplementis ad no. 2905 p. 574. Lysimachus cum hac formula ingressu utatur: Βασιλεὺς Λυσίμαχος Σαμίων τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ χαίρειν, cognoscas liberam civitatem tunc fuisse. Droysenius, Diadochen 1², 81, not. 4 anno 302 hanc inscriptionem recte, opinor, adscripsit; conf. eundem, Epigonen 1², 226.

Quare si eo tempore libera fuit respublica Samiorum, quaeritur, quando tandem Duris tyrannidem obtinuerit. Westermannus in Pauly, Realencyclopaedie s. v. Samos p. 736. extr. in ea sententia est, Duridis regnum paucis annis post redditam a Polysperchonte Atheniensibus Samum, i. e. post a. 319 ponendam esse, quod parum credibile est, quia eo tempore Athenis Duris commorabatur, ut Theophrasti institutioni operam daret, Athen. IV, 128ª: Λυγκέα καὶ Δοῦριν τοὺς Σαμίους, Θεοφράστου δὲ τοῦ Ἐρεσίου μαθητάς. cf. Droysenium, Diad. 1², 81 sq. Cum igitur tempore, quo Samii in patriam ex exilio redierunt, docili et iuvenili etiamtunc aetate Duridem fuisse, probabile sit, tyrannis vero provectiorem iam hominis aetatem poscere videatur, denique cum proximo ante pugnam apud Ipsum ol. 119, 4 (= 301) decennio respublica Samiorum libera fuerit: omnia profecto suadent, ut Duridem post pugnam apud Ipsum tyrannide Sami insulae potitum esse statuamus. Cum hac temporis definitione concinit etiam Godofredi Eckertz, de Duride Samio, p. 31 et Henrici Brunn, Gesch. d. Künstl. I, 424 argumentatio. Droysenius Duridem in patria tyrannide functum esse minime quidem dubitat, cf. Diadochen 2², 182 med., sed quo tempore id factum sit, plane in incerto relinquit; Diadochen 1², 81 sq.

25. Duris quomodo litteras περὶ ἀγώνων auspicatus sit. Auctorum περὶ ἀγώνων brevis recensus.

Duris igitur puer pugilatu Olympiae victor, deinde Sami patriae tyrannus, litterarum περὶ ἀγώνων genus auspicatus est, multorumque imitatorum studia excitavit. Atque Duris haud dubie iam ipse in ea quoque re ceteris facem praetulit, quod asperae isti et ieiunae institutorum, legum, temporum definiendorum materiae dulciculum illud et Graecorum certe animis acceptissumum condimentum narrationum de athletis admiscuit. Nam licet paucissima tantum ex Duridis περὶ ἀγώνων opere fragmenta extent, ac nullum omnino quod athletae alicuius mentionem contineat, res ipsa iam luculenter spondet, Duridem. qui puerili aetate palmam Olympicam pugil sibi peperisset, illum locum de athletarum vitis non silentio transmissurum fuisse. Deinde "Historiarum" Duridis quaenam species, qui stilus est? Is est profecto, qui rerum gestarum memoriam non caste et severe persequatur et ipsa facta diserta ad testandum reddat, sed qui satis loquaciter in venustulis narrationibus sibi placeat, magis ad delectandum illis, quam ad edocendum compositis.

Iam vero non inutile fuerit, eorum quoque auctorum, qui Duridis et Callimachi vestigia secuti materiam illam περὶ ἀγώνων excoluerunt, brevissimum aliquem recensum componere. Callimachum proxume excipit discipulus eius et civis Ister Cyrenaeus, cuius fragmenta collegit C. Mueller, Fr. hist. Gr. I, 418. Libri περὶ ἰδιότητος ἄθλων unum superest fragmentum apud Clem. Alex. Strom. III, § 51, quod suppletur ab Aeliano III, 30. cf. Mueller l. s. p. 424. Deinde in Pindari scholiis prodit Cleophanes περὶ ἀγώνων. Sch. Pind. Ol. IX, 143 p. 226: ἐν τῇ Ἀρκαδίᾳ γὰρ ἤγοντο τῷ Διῒ τὰ Λύκαια. Κλεοφάνης ἐν τῷ περὶ ἀγώνων. Athenaeus X, 412 e Theodori Hierapolitae eiusdem tituli opere usus est ad Milonis edacitatem adumbrandam: Ἱεραπολίτης Θεόδωρος ἐν τοῖς περὶ ἀγώνων. Ex huius igitur generis auctoribus Pausanias maximam partem eorum. quae de athletarum rebus gestis et fatis copiosius et ad exhilarandam orationem refert, prompsisse videtur.

26. Pausaniam anagrapha Olympica, potissumum in victoriis olympiade 114 (= 324) antiquioribus, diligenter usum esse.

Iam vero praeter haec leviora, quae in athletarum rebus gestis versantur, plurima eaque ad nostra quidem studia adiuvanda praestantissima Pausanias tradidit cum omnino de institutis ludorum, tum potissumum de victoriarum, quae in diversis certaminum generibus partae sunt, chronologia. Ad haec electissimae doctrinae fragmenta recte aestimanda plurimum scire interest, num illa ex anagrapha aliqua olympionicarum Pausanias ipse hauserit, an intercedentibus quibusdam auctoribus ita accepta referat, ut ex eis demum illas temporum notas illorum fide transscripserit. Huius quaestionis in universum diiudicatio non nimis, opinor, difficilis est. Nam qui locos, in quibus victoriis a victoribus

reportatis Pausanias temporis definiendi caussa olympiadis numerum adscripsit, omnes inspexerit, ei haud dubie constabit, eos numeros Pausaniam neque auctori illi, quem in statuis describendis et aestimandis sequitur, Polemoni Iliensi, debere, neque eis auctoribus, e quibus historias de athletis deprompsit, i. e. scriptoribus περὶ ἀγώνων. Res ipsa loquitur. Velut disserit Pausanias de duobus pueris pugilatu victoribus, qui ambo filii Alcaeneti Lepreatae fuerint, de Hellanico et Theanto. Prior, inquit, ol. 89 (= 424), alter ol. 90 (= 420) vicit; Paus. VI, 7, 8: Ἑλλανίκον δὲ τὸν Ἀλκαινέτου καὶ Θέαντον ἐπὶ πυγμῇ παίδων ἀναγορευθῆναι τὸν μὲν ἐνάτῃ πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα ὀλυμπιάδι, τὸν δὲ τῇ ἐφεξῆς ταύτῃ συνέβη τὸν Θέαντον. In his nihil inest, quod operum artis enarratorem redoleat: ea meram et germanam anagrapham olympionicarum sapiunt. Ac fuerunt Aristotelis potissumum Ὀλυμπιονῖκαι, quibus Pausanias usus est. Aristoteles, quemadmodum demonstravit vir eximius Gustavus Gilbert in elegantissima commentatione: de Anagraphis Olympiis (Gothae, 1875) p. 9, olympionicas usque ad Ol. 114 (= 324) deduxit. Atque sunt potissumum victoriae Olympicae hac olympiade vestustiores, in quibus Pausaniam diligentissumum in olympiadum numeris adscribendis invenimus. Sed singula quaeque ad hanc gravissumam quaestionem spectantia peculiari commentationi seponenda duximus.

ADDENDVM.

Ad p. XXII. Gellii locus XV, 16 cognitu sane dignus. Ibi in verbis traditis "*olympiade prima coronatum*" Salmasius pro "*prima*" "*quinquagesima*" scribi iubet, numerum I ex L corruptum censens. Sed certa res est, Milonem ol. LXII "primum" vicisse, et ad eum ipsum annum, quo "primum" inter viros vicit, narratiunculas nonnullas de eius rebus gestis et mortis genere in anagraphis adscriptas fuisse. Confirmat haec luculenter Africanus ad ol. ξβ', conf. ed. Rutgersii p. 23. Inde necessario colligitur, post "*olympiade*" excidisse numerum LXII. Quae utinam Martino Hertz, viro egregio et maxume Gelliano, placeant, qui in hac nunc quaestione in castris Salmasianis militat.

SCHOLAE

SECVNDVM ORDINES DISCRIPTAE

I. ORDINIS THEOLOGORVM CATHOLICORVM

Professores ordinarii

ANDREAS MENZEL Dr. *Publice* I. Encyclopaediam theologicam tradet bis p. h. h. IX. *Privatim* II. Theologiae moralis partem II tractabit quater p. h. h. IX.

FRANCISCVS HENRICVS REVSCH Dr. *Publice* I. Theologiam homileticam et catecheticam docebit bis p. h. h. XI. *Privatim* II. Capita selecta ex libris Veteris Testamenti propheticis enarrabit quater p. h. h. X.

IOSEPHVS LANGEN Dr. *Publice* I. Evangelii Ioannis locos selectos interpretabitur semel p. h. h. XI. *Privatim* II. S. Pauli ad Romanos epistolam exponet ter p. h. h. XI. III. Historiae ecclesiasticae p. IV enarrabit quinquies p. h. h. XII.

HVBERTVS THEOPHILVS SIMAR Dr. *Publice* I. Eschatologiam tractabit bis p. h. h. X. *Privatim* II. Theologiae moralis p. I docebit quater p. h. h. VIII. *Privatissime et gratis* III. Exercitationes catecheticas moderabitur semel p. h. h. V.

CAROLVS HENRICVS KELLNER Dr. *Publice* I. Historiam aevi apostolici exponet bis p. h. h. III. *Privatim* II. Historiae ecclesiasticae primam partem inde a temporibus apostolorum usque ad finem saeculi septimi quinquies p. h. h. IX.

FRANCISCVS KAVLEN Dr. *Publice* I. Lectiones dominicales ex Evangeliis desumptas explicabit semel p. h. h. XII. *Privatim* II. Archaeologiam biblicam docebit quater p. h. h. XII. III. Psalmos interpretabitur quater p. h. h. IV. *Privatissime et gratis* IV. Exercitationes homileticas moderari perget semel p. h. h. XII.

II. ORDINIS THEOLOGORVM EVANGELICORVM

1. *Professores ordinarii*

GVILELMVS LVDOVICVS KRAFFT Dr. *Publice* I. Historiam ecclesiae aevi recentioris tradet bis p. h. d. Sat. h. IX et X. *Privatim* II. Historiae ecclesiasticae partem primam usque ad Caroli m. tempora enarrabit quinquies per h. h. X.

GVILELMVS IVLIVS MANGOLD Dr. *Publice* I. Iacobi epistolam bis p. h. d. Sat. h. XI et XII interpretabitur. *Privatim* II. Epistolam Pauli ad Romanos datam quater p. h. d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI explicabit. III. Symbolicen comparativam quater p. h. d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII tradet.

ADOLPHVS HERMANNVS HENRICVS KAMPHAVSEN Dr. *Publice* I. Seminarii regii exercitationes ad Vetus Testamentum spectantes moderabitur. *Privatim* II. Iobi librum explicabit quater p. h. d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII. III. Historiam populi Israelitici, religionis potissimum rationem habiturus, breviter delineabit ter p. h. Lun. Mart. Iov. h. XII.

THEODORVS CHRISTLIEB Dr. theol. et phil. *Publice* I. In seminario regio exercitationes tam homileticas quam catecheticas moderari perget d. Lun. h. III et Merc. h. V. *Privatim* II. Principia theologiae practicae et artem catecheticam docebit quater d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX. III. Historiam praedicationis, quae in ecclesia christiana inde ab initio usque ad nostrum floruit aevum, enarrabit bis dieb. Merc. et Sat. h. IX.

GVILELMVS BENDER Dr. *Publice* I. Exercitationes historico-dogmaticas Seminarii regii sueto more moderari perget. *Privatim* II. Religionis historiam comparativam quater p. h. d. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX tradet. III. Ethicen christianam quater p. h. d. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X docebit.

LVDOVICVS LEMME Dr. theol. *Publice* I. Evangelii Ioannis capp. 14—17. d. Merc. h. XII interpretabitur. *Privatim* II. Theologiam dogmaticam ecclesiae reformatae docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X. III. Evangelium Ioannis interpretabitur d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XI.

2. *Professores extraordinarii*

CAROLVS BENRATH Dr. *Publice* I. De Coemeteriis veterum Christianorum, quae catacombae dicuntur, semel p. h. h. p. i. disseret. *Privatim* II. Historiae ecclesiasticae partem secundam inde ab a. 800 usque ad a. 1500 tradet quinquies per h. h. p. i.

CAROLVS BVDDE Dr. *Privatissime et gratis* I. Exercitationes hebraicas moderabitur bis p. h. h. p. st. *Privatim* II. Librum Geneseos interpretabitur quater dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII.

3. *Privatim docentes*

FRIDERICVS SPITTA theol. Lic. *Privatim* I. Introductionem in Novum Testamentum docebit, quater p. h., diebus Merc. et Sat. h. VII et VIII. *Privatim* II. Artem homileticam tradet bis p. h. d. Merc. h. XI et XII.

FRIDERICVS SCHNAPP theol. Lic. *Gratis* I. Librum pseudepigraphum qui inscribitur psalmi Salomonis explicabit, semel d. Mart. h. V. *Privatim* II. Epistolam ad Hebraeos datam interpretabitur quater p. h. d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI.

III. ORDINIS IVRECONSVLTORVM

1. *Professores ordinarii*

HVGO HAELSCHNER Dr. *Privatim* I. Ius ecclesiasticum Evangelicorum ter p. h. h. VIII docebit. II. Ius naturae sive philosophiam juris tradet quinquies p. h. h. IX.

IOANNES FRIDERICVS DE SCHVLTE Dr. *Privatissime et gratis* I. In seminario regio exercitationes iuris germanici et mercatorii moderabitur d. Sat. h. VIII—X. *Privatim* II. Ius privatum germanicum docebit quinquies h. IX. III. Ius ecclesiasticum Catholicorum et Evangelicorum docebit quinquies h. VIII.

GVILELMVS ENDEMANN Dr. *Publice* I. Processum civilem extraordinarium tradet d. Sat. h. XII. *Privatim* II. Processum civilem ordinarium docebit quater dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI. III. Processum concursus bis dieb. Merc. et Sat. h. XI. IV. Ius publicum Germaniae quinquies h. XII.

AVGVSTVS BECHMANN Dr. *Privatissime et gratis* I. In Seminario regio exercitationes iuris civilis instituet, d. Ven. h. V et VI. *Privatim* II. Institutiones et historiam iuris docebit quinis diebus h. X et XI.

HERMANNVS HVEFFER Dr. *Publice* I. Ius bonorum ecclesiasticorum tam ex iuris communis quam ex recentiorum legislationum imprimis Borussiae et Francogalliae praeceptis tradet die Mart. et Iov. h. V. *Privatim* II. Ius gentium quater p. h. h. XI exponet.

CONRADVS HVBERTVS HVGO LOERSCH Dr. *Publice* I. Historiam fontium iuris Germanici tradet d. Merc. h. IX. *Privatim* II. Historiam iuris et imperii Germanici docebit diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX. III. Ius mercatorium et maritimum exponet quinquies dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X.

ERNESTVS ZITELMANN Dr. *Privatissime et gratis* I. In seminario regio societati iuris Romani praeerit die Mart. h. VI et VII. *Privatim* II. Ex Pandectarum parte priore partem generalem et ius quod ad res pertinet tradet d. Mart. Iov. Ven. h. XI et XII. III. Ex Pandectarum parte posteriore ius hereditarium docebit d. Mart. Iov. Ven. h. VIII. IV. Exercitationes exegeticas instituet d. Lun. V et VI.

2. *Professores extraordinarii*

ALFREDVS NICOLOVIVS Dr. scholas non habebit.

RVDOLFVS KLOSTERMANN Dr. *Publice* I. De poenis a magistratibus ordinandis vel infligendis disseret d. Merc. h. IX. *Privatim* II. Ius administrationis tradet dieb. Lun. Mart. Iov. et Ven. h. IX.

FRIDERICVS OETKER Dr. *Privatissime et gratis* I. In seminario regio exercitationes iuris criminalis moderabitur d. Iov. h. VI—VIII. *Privatim* II. Ius poenale Germanicum docebit quinquies h. X. III. Processum criminalem docebit quater h. XI.

3. *Privatim docens*

ERNESTVS LANDSBERG Dr. *Gratis* I. De iure communi circa familias (e Pandectarum parte altera) disseret d. Merc. h. VIII. *Privatim* II. Ius poenale Germaniae dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X. III. Ius commune circa obligationes (e Pandectarum parte priori) docebit dieb. Lun. et Merc. XI et XII.

IV. ORDINIS MEDICORVM

I. *Professores ordinarii*

GVSTAVVS VEIT Dr. *Publice* I. Gynaecologiae partem tradet d. Merc. h. VII. *Privatim* II. Exercitationes practicas in clinico gynaecologico moderabitur quotidie h. XII.

FRANCISCVS DE LEYDIG Dr. *Publice* I. Animalium vertebratorum historiam evolutionis tradet semel d. Ven. h. IV. *Privatim* II. Anatomiam comparatam (systema vegetativum) docebit d. Lun. Merc. Iov. h. IV. *Privatissime* III. Laboratorium zoologico-zootomicum moderabitur quotidie.

EDVARDVS PFLVEGER Dr. *Publice* I. Seminarium physiologicum quotidie moderari perget. *Privatim* II. Physiologiam generalem specialisque partem primam i. e. animalem d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX docebit. III. Cursum physiologiae chemicae d. Mart. et Ven. h. II et III habebit.

HVGO RVEHLE Dr. *Publice* I. De morbis renum disseret semel d. Ven. h. XII. *Privatim* II. Clinicum et policlinicum medicum moderari perget quotidie h. X$^3/_4$—XII.

CAROLVS KOESTER Dr. *Privatissime et gratis* I. Laboratorium pathologicum moderabitur quotidie. *Privatim* II. Pathologiam generalem quater h. VIII, semel h. V docebit. III. Cursum demonstrativum anatomiae pathologicae cum exercitationibus rite obducendi cadavera bis h. IV et V instituet. IV. Cursum microscopicum anatomiae pathologicae bis h. VII et VIII habebit.

THEODORVS SAEMISCH Dr. *Publice* I. De oculi morbis interioribus disseret adiunctis demonstrationibus pathologicis anatomicis d. Iov. h. II. *Privatim* II. Clinicum ophthalmiatricum moderabitur dieb. Lun. Mart. Ven. h. VIII. III. Cursum ophthalmoscopicum instituet d. Merc. h. II et III. IV. Cursum functionum oculi perturbatarum diagnosticum habebit d. Iov. h. VIII.

CAROLVS BINZ Dr. *Privatissime et gratis* I. Laboratorium pharmacologicum quotidie. *Privatim* II. Pharmacologiae alteram partem una cum formulari docebit d. Lun. Mart. Merc. Ven. h. III.

ADOLPHVS LIBER BARO DE LA VALETTE ST. GEORGE Dr. *Publice* I. Laboratorium anatomicum una cum NVSSBAVM P. E. moderari perget quotidie. *Privatim* II. Anatomiam generalem tradet d. Lun. Merc. Ven. h. VII. III. Demonstrationes et exercitationes microscopicas una cum NVSSBAVM P. E. instituet d. Mart. Iov. Sat. h. VII. IV. Cursum microscopicum d. Lun. et Ven. h. VIII habebit.

FRIDERICVS TRENDELENBVRG Dr. *Publice* I. Akiurgiae capita selecta tradet semel d. Merc. h. v. *Privatim* II. Clinicum et policlinicum chirurgicum moderabitur quotidie h. IX—X$^3/_4$. III. Cursum operationum chirurgicarum instituet quotidie h. VI—VIII.

2. *Professor ordinarius honorarius*

WERNERVS NASSE Dr. *Privatim* Clinicum psychiatricum moderabitur d. Merc. h. V et VI.

3. *Professores extraordinarii*

HERMANNVS SCHAAFFHAVSEN Dr. *Publice* I. Generis humani historiam primitivam tractabit d. Lun. et Iov. h. III. II. Encyclopaediam artis medicae tradet d. Mart. h. III. *Privatim* III. Demonstrationes et exercitationes microscopicas physiologiam generalem illustrantes dieb. Lun. Mart. et Iov. h. XII.

IOSEPHVS DOVTRELEPONT Dr. *Publice* I. De morbis syphiliticis aget d. Iov. h. IV. *Privatim* II. Clinicum morborum cutis et syphiliticum moderabitur d. Merc. et Sat. h. XII.

CAROLVS FINKELNBVRG Dr. *Publice* I. Psychiatriam generalem d. Lun. h. VI. *Privatim* II. Hygieinen dieb. Lun. Mart. Iov. et Ven. h. V.

CAROLVS DE MOSENGEIL Dr. *Publice* I. Selecta capita therapiae chirurgicae (Heilgymnastik und Massage) tradet semel p. h. h. III. *Privatim* II. Cursum fascias applicandi bis p. h. h. II.

MAVRICIVS NVSSBAVM Dr. *Publice* I. Anatomiam nonnullorum evertebratorum docebit d. Merc. h. X. II. Laboratorium anatomicum una cum LIBERO BARONE DE LA VALETTE ST. GEORGE P. O. moderari perget quotidie. *Privatim* III. Demonstrationes et exercitationes microscopicas una cum LIBERO BARONE DE LA VALETTE ST. GEORGE P. O. instituet d. Mart. Iov. Sat. h. VII. IV. Anatomiam organorum sentiendi tradet d. Mart. Iov. h. VIII.

DITTMARVS FINKLER Dr. *Publice* I. Laboratorium clinicum quotidie moderari perget. *Privatim* II. Propaedeuticen clinicam dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IV una cum Dr. PRIOR moderabitur.

FRIDERICVS FVCHS Dr. *Publice* I. De principiis generalibus philosophiae naturalis disseret semel h. p. i. *Privatim* II. Iatrophysices capita selecta tradet bis terve h. p. i.

HVGO RIBBERT Dr. *Publice* I. De morbis infectiosis semel h. p. st. *Privatim* II. Cursum ad introductionem in histologiam pathologicam instituet bis d. Mart. h. III—V.

HENRICVS WALB Dr. *Publice* I. De morbis narium et faucium d. Mart. h. V. *Privatissime et gratis* II. Policlinicum otiatricum moderari perget dieb. Merc. et Ven. h. II$^1/_2$. III. Studia in laboratorio clinico reget h. p. st.

4. *Privatim docentes*

IOSEPHVS KOCKS Dr. *Gratis* Cursum operationum obstetriciarum quater instituet h. p. st.

CAROLVS BVRGER Dr. *Gratis* I. De morbis narium et laryngis capita selecta tractabit

semel. *Privatim* II. Cursum laryngoscopiae et rhinoscopiae habebit bis. *Privatissime et gratis* III. Policlinicum morborum narium et laryngis moderabitur quotidie.

SIGFRIDVS WOLFFBERG Dr. *Gratis* I. De causis et prophylaxi crebriorum morborum contagiis vivis ortorum; adiungentur vaccinandi exercitationes, semel p. h. h. IV. *Privatissime et gratis* II. Colloquium hygienicum, semel p. h. III. Studia hygienica, cotidie.

GVILELMVS KOCHS Dr. *Gratis* I. De generatione semel d. Ven. h. XI. *Privatim* II. Repetitorium partium selectarum physiologiae bis h. p. st.

THEODORVS RVMPF Dr. *Gratis* I. Pathologiam et therapiam specialem morborum cerebri semel h. p. st. *Privatim* II. Exercitationes neurologicas policlinicas d. Lun. et Iov. h. III. *Privatissime et gratis* III. Laboratorium neurologicum quotidie h. p. st.

AEMILIVS VNGAR Dr. *Privatim* I. Medicinam forensem docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VII. *Privatissime et gratis* II. Policlinicum infantum moderabitur bis d. Mart. et Ven. h. II.

OSCARVS WITZEL Dr. *Gratis* I. Chirurgiae specialis partem I docebit d. Mart. h. VII. *Privatim* II. Cursum operationum chirurgicarum una cum TRENDELENBVRG P. O. instituet quotidie h. VI et VII. III. De cognoscendis morbis chirurgicis aget bis d. Iov. et Ven. h. VII.

DITERICVS BARFVRTH Dr. *Gratis* I. De cerebro et medulla spinali aget semel d. Ven. h. X. *Privatim* II. Osteologiam et syndesmologiam docebit bis d. Merc. et Sat. h. VIII.

GEORGIVS KRVKENBERG Dr. *Gratis* I. Pathologiam graviditatis tradet Ven. h. IV. *Privatim* II. De cognoscendis morbis gynaecologicis aget d. Merc. et Sat. h. IV.

